DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Lunæ vigeſimâ-quintâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LIV.

M. JOANNE-BAPTISTA BASSEVILLE, Doctore Medico, Præſide.

Utrum AQUITANIÆ Minerales Aquæ Morbis chronicis?

I.

FONTES *ſacros recludere auſi*, quæ ex ipſis proſunt dicere; quæ nocent prodere animus eſt. Naïadum Pyrenaicarum aſſentator non nimius multa quidem laudabit, ſed & multa culpabit. Facem feret caſta veritas. Vulgi, quantum fieri poterit, præjudiciis expertes experimenta ſeligemus, imaginationis commenta ſomniave utique reſpuentes. Clinicorum aliundè more, obſervationibus potiſſimùm, vel ex iis neceſſariò ac proximè deducendis confiſi. *Inveniendum quid Natura ferat*, obſequiosè nec curiosè nimis ipſius oracula excipiendo. Ut igitur omnia ad trutinam æquiorem revocentur, poſtulat ordo ut primò ſanitatis generaliora, morborumque tùm acutorum tùm chronicorum mores, genium, cauſæ præcipuaque exponantur phænomena, quò deinde Aquarum Mineralium vis, uſus, & applicatio patefiant.

THESIS I. Corpus vivens compages eſt plurium organorum, quæ modo ſuo peculiari vivunt, agunt, moventur, aut quieſcunt ſtatis temporibus, atque magis aut minùs *ſentiunt*; *animantur enim animalium omnes partes (a)*. (a) Hipp. de aliment. cap. 2.

THESIS II. Compagis hujus vincula, non alia ſunt niſi ſubſtantia ſpongioſa, mucoſa, cellularis, cujus in penetralibus nidulantur & implantantur organa, veluti totidem rami ſyſtematis nervorum, qui partes omnes primò continent, ut gemmæ continent flores & fructus.

THESIS III. Vita *generalis*, quæ eſt ſumma peculiarium omnium vitarum *, præcipuè conſtat ex motuum fluxu, ordineque determinato, moderato, quo functiones omnes, ſeu vitæ peculiares exercentur; tota enim vita motuum eſt ſeries à parte in partem, quæ *omnes pleræque principium, omneſque finis (a)*. * Theſ. I. (a) Hipp. de loc. in homin. cap. 1.

THESIS IV. Ætati cuilibet & ſexui ſua competit motuum & functionum ſeries; unde, & aliis de cauſis infrà dicendis, vita propria * in quolibet * Theſ. 14.

ferè individuo: quæ dum hujus emolumento viget, ſanitas eſt ipſi; ſanitas enim, vitæ modus eſt, qui etiam in eodem ſubjecto non omninò immutabilis.

THESIS. V. Nec igitur *una* ſanitas eſt, nec exiſtit ſanitas *perfecta*, ſeu partium earumque motuum eximius ordo qui tantùm metaphyſicè concipitur; hinc eſt Medicinæ *ideale* objectum; velut in Phyſicis perpetuum movens, & materia prima; vel in Mechanicis affrictûs omnimoda privatio; vel demùm in Chemicis mixtorum mutatio ſpontanea, in Mathematicis magnitudo.

THESIS VI. Sanitatem aut vitam peculiarem quibus Homini frui datum eſt, magis aut minùs à ſanitate perfectâ deſciſcere diceres, ſecundùm organorum quorumdam vividiorem aut debilem actionem, ex quâ varia oriuntur temperamenta, vel conſuetæ functionum determinationes.

THESIS VII. Temperamenta hæc totidem ſanitates peculiares, quibus Homines varii fruuntur, & vigent; habent eadem univerſale quiddam, quo alia aſſimilantur aliis, & aliundè peculiare aliquid, quo inter ſeſe mutuò differunt; neque tamen minùs in vitæ & ſanitatis ſphærâ ſubſiſtunt.

THESIS VIII. Generaliores exſtant corporis functiones, quæ in omni temperamento reperiuntur; ſcilicet cerebri aut nervorum vis & actio, cordis motus, reſpiratio, digeſtio quibus agitur & ſubſiſtit quidquid ad vitam ſpectat, & quæ ſibi mutuas ſtipulantur vires, corpus omninò mutando, partiumque vitam fovendo.

THESIS IX. Ventriculus alimentorum digeſtioni præeſt, ſibi organorum omnium conamina invocans (*a*), & proindè partes ſuſcitans, ut fiant operi habiliores; alibilem ſcilicèt *mucum* exprimit ab alimentis & præparat, quem ſanguini miſcent & à fæcibus ſeparant vires digeſtivæ, quæ à ventriculo in inteſtina & in meſenterium proferuntur juxta viarum & motuum diſtributiones.

(*a*) Quæſtio Medica An omnes corp. partes digeſt. opitulentur? Pariſ. 1753.

THESIS X. Cordis atque reſpirationis vi, undequaque vibrantur motus ad omnem corporis circumferentiam; chylus motibus illis mutatur in ſanguinem, ex quo ſubſtantia *mucoſa* ſeu *albuminoſa* extracta, auxiliiſque iiſdem cellulari ſubſtantiæ applicata, coaleſcit in *glutinoſas* lamellas quibus roborantur aut creſcunt partes, ſeu potiùs ipſemet textus cellularis.

THESIS XI. Nervi ad cerebrum collecti, *vitalitate* inter organa ditiſſimi, propaginibus ſuis omne complectuntur corpus, ita ut cuilibet parti impertiant fibrillas, quæ vario uſu nexuque variam ſortiuntur conſtitutionem (*a*) ex quâ ſoboleſcit actionis varietas, ſeu motus ſenſuſque cuilibet parti proprius quo fibrillæ illæ functiones regunt corporis. Syſtema omne nervorum innatâ ſibi proprietate polypum eſſe dicimus, qui ad organa ſenſuum, radiculas ſeu ora ſua emittit; hæc ora pertinent etiam ad partes alias, quoniam *more ſuo*, *ſenſibilitate*, & *activitate* ſeu motu vitali quem ſenſus regit, fruuntur; namque vita ſenſus eſt & motus.

(*a*) Vid. §. V.

THESIS XII. Atqui cerebrum, cor, atque ventriculus, naturæ verus triumviratus vitæque tripos; inter ſeſe mirabili nexu conſociata, vires ſuas indè fovent, ut periferiam corporis irradiantes, peculiari omni vitæ * præſint & functioni; foci, habenda præcipui, ex quibus vita partium ſeu ſenſus atque motus oriuntur, & in quæ denuò revertunt; vires enim corporis indeſinentèr circumfluunt aut abeunt in circulum ſanitatis exercitio.

* Theſ. 1. 3.

THESIS XIII. Hinc functiones aliæ, ut ſunt excretionum & ſecretionum ordo & harmonia, motus omnes muſculares, atque ſenſuum ex-

ternorum usus, aut feriatio sive somnus & vigilia generalioribus functionibus subditæ, harum auxilio perennantur, nec sanè absque determinato ordine; sunt enim in excretione quâlibet v. g. vires præparantes, actio efficiens & effectus ejus, proindè reditus corporis in pristinum statum. Quoniam verò hæc omnia variis animi pathematis sæpè mutantur, ideò semper attendendum ad animi pathemata.

THESIS XIV. Præterea ætas, sexus, temperamentum, functionibus vitæ generalioribus peculiare quiddam addunt; *idiosyncrasiam* dixêre, quâ individuum omne *tale* determinatur, & differt ab aliis; licet enim partes omnes digestioni semper opitulentur, nervi partes regant, fiatque semper ex chylo sanguis eâdem constans materiâ, & applicentur succi nutritii lamellæ, proprio tamen signantur typo hæc omnia in quolibet individuo, quod proinde reperitur in animalibus & in vegetalibus, inter se similibus & diversis.

THESIS XV. Ditissimam verò Naturæ Chemiam & Mechanicam imitari omninò non licet artibus nostris, quæ ruunt imprudentes, dum *vitalitatis* œconomiam curiosè nimis indagant, vel nosse confidenter gloriantur; nec enim meliùs sanguinem effingent Chemici, quàm Mechanici machinulam cordi similem, cerebro, vel stomacho; quid, si mutuos inter varia corporis organa renixus altiùs disquirere satagerent? *Subtiliori Mathematico*, Physico, Chemico, *subtilior est Natura* (*a*).

(*a*) Bagliv. lib. 1. praxi Med. cap III.

THESIS XVI. Nimiùm ergò distant à moribus Naturæ, in corpore animali, præcepta Chemiæ & Mechanices. Hinc Medici vitæ phænomena, leges, organorum mores, consensus, functionum seriem, tempora, in corpore viventi observatione prosequamur; hæc omnia motibus perficiuntur & se præbent noscenda; qui quidem motus statûs œconomiæ animalis indicia vera, artis materiem legesque ponunt, omni ævo commendanda.

THESIS XVII. Morbus verò nil nisi functionum *perturbatio* à læsâ constitutione, vel imminutâ, aut adauctâ vi partis alicujus quæ vividiùs opere suo fungitur, aut desidiosè. *Ægrotationibus enim tentamur, dum aliquarum partium perturbantur functiones* (*a*); *sique naturæ nexus, id est tenor, dissolutus sit, affectus oritur* (*b*). Tenorem illum Aretæo aliisque Medicis habemus subodoratum, sed non omninò intellectum; eundem verò, juxta Naturæ normam existimamus nuper (*c*) prolatum & enucleatum; undè constitutio, ordo, & series status sani & morbosi se præbent intelligenda, ita ut ea quæ de observationibus mox proferendis differemus, hocce fundamento plurimùm juverit adstruere. Motuum igitur seriem ordinemque determinatum in corpore postulamus; series naturalis, vis, sanitas; series perturbata inversa, ægritudo, morbus.

(*a*) Illust. Helvetius princi-pia Physico-Medica.

(*b*) Aretæus lib. 2. cap. 3. de causs. & simp. morb. acut.

(*c*) Specimen novi Medicinæ conspectus.

THESIS XVIII. Unde temperamentum, ætas, sexus, peculiaresque omnes sanitates ferè semper morbos mentiuntur, saltem respectivè ad sanitatem perfectiorem quæ attingi posset in œconomiâ nostrâ; *Quotquot sumus ægrotamus, inæqualibus fractisque modis fluunt per corpora nostra vires; vitam degimus à morbo in morbum præcipites* (*a*); *nemo enim facilè est, qui non habeat partem aliquam imbecillem* (*b*).

(*a*) Quæstio Medic. An venatio cæteris exercit. salubrior. Paris. 1753.

(*b*) Cels. de Medici cap. 3.

THESIS XIX. Digestionis opus, somnus, profunda aut diuturnior meditatio, vividiora animi pathemata, universales corporis mutationes, quibus diu satis cohibentur cæteræ functiones, morbi leviores viderentur, quatenùs directè fluxui expedito motuum opponuntur, quibus sanitas stat integra. Opus digestionis prima arguit morborum *lineamenta*; etenim alimen-

tis irritatus ventriculus, corporis omnem agitat molem ; poſteà vires ad ſe trahit ab exterioribus, quæ denuò ad eadem exteriora redeunt, centripetarum & centrifugarum virium exercitio conſtanti & ordinato. Atqui hæc in morbis confirmatis, æquâ ſatis proportione eveniunt. Sic digeſtio præſertim dum laboriosè conficitur, febrilis inſultûs operiſque ſuppuratorii ſpeciem refert.

Thesis XX. Lineamenta morborum, quò magis profunda, impreſſa, indelebilia, eò etiam contumaciores conſtituunt morbos, ordinatos evidenter aut contrà, ſenſibiles aut inſenſibiles, breves aut longos, graves vel leves, fauſtos vel lethales ; fauſtos ſcilicet, dum vitiatam vitam peculiarem aut idioſyncraſiam, in melius mutant ; lethales verò, vel eſſentialiter, quando ex naturâ ſuâ ita conſiſtunt, ut invito artis quolibet conamine in dies ingraveſcant, vel ſolummodò lethales, artis errore, aut dum victæ naturæ committuntur ; ſunt & inſanabiles morbi haud tamen lethales, quoniam cum ipſis vita ſuperſtes, unde temperamenta oriuntur veluti fictitia, immutabilia, quod longis affectibus familiariſſimum.

Thesis XXI. Prætereà morbo cuilibet ordo & progreſſus inſunt, uti & ſphæra ſeu ſpatium, inſultus, fluxus, ac tempora ſæpè ſæpiùs immutabilia. Deteget attentus obſervator in omni morbo, velut in functione enarratâ *, aut in digeſtionis opere, 1°. corporis mutationem quâ morbus incipit, præparatur aut denuntiatur; 2°. Morbi ipſius exiſtentiam, aut præſentem ſtatum; 3°. Vires & phænomena, quorum auxilio vel conſortio, mutatur aut deſinit, denuòque corpus ad ſtatum ſanum redire incipit, vel ultimùm cum morte luctatur ; morbi omnes in eo conſentire videntur ; vis aut debilitas, tarditas aut celeritas, &c. non omnimodè morbi eſſentiam vel naturam mutant ; *eſt enim una omnium morborum forma* (*a*).

* Theſ. 13.

(*a*) Hipp. de flatib. cap. 2.

Thesis XXII. Hinc morbum habeas, vel Naturæ conamen morbum debellans, vel motuum corporis everſionem principio vitali oppoſitam, quorum conſideratio ad ſcholas deleganda; Metaphyſica enim hujuſmodi jurgia reſpuit Clinicorum tribunal verum, quoniam opinio alterutra ſuſque deque poteſt haberi ; non ſecùs ac ex iis oriunda dubia multa, de intentione Naturæ in morbis, de *finalitate* eorum, de obtemperatione Medici Naturæ viribus, vel contrà. Ventilent illa ultra modum curioſi ; curet Medicus ut ſectæ non adhæreat ; movenda diſtinguat à non movendis, nec otioſæ *expectationi* magis aut minùs indulgeat, quàm præcipiti *inexpectationi* ; par eſt periculum ex utrâque methodo, quoniam morbi genium, tempora, progreſſus, atque ſymptomata, *ſanabilitas* & *inſanabilitas* perperàm confunduntur, aut non rectè ſatis diſtinguntur.

Thesis XXIII. Quæ ut cautè vitentur, ſit nobis exemplo morbus ſimplicior, functioni excretoriæ *, ut innuimus ſuprà, non malè æquiparandus. Apparent enim in morbo, corporis viciſſitudines morbum præſagientes aut præparantes, phœnomena ſtatum morbi concomitantia, ejuſdem morbi in pejus meliuſve mutatio ; ſic dùm morbo ex irritatione oriundo tentatur pars quædam, tunc vires ad eam nimiùm appellunt, vividiùs quàm par eſt agit illa pars ; tempus hoc primum ſeu tempus *irritationis*, glandularum *erectioni* excretionem præparanti idoneè ſatis comparandum ; dum verò morbus eò devenerit, ut pars affecta motu jam referta, ulteriorem nequeat ſibi trahere actionem, tunc motus hîc collectus aliam fortitur determinationem, unde phænomena accedunt excretioni fienti (*a*) haud diſſimilia ; morbi *exiſtentia* vel *maturatio*, ſecundum illud tempus erit ; de-

* Theſ. 13.

(*a*) Recherch. Anatomiques ſur la poſition des glandes & ſur leur action.

mum solvitur morbus; quiescit dein pars aut ad quietem progreditur non secùs ac glandula post excretionem (*b*), en morbi tempus tertium aut ultimum, *excretio*; quæ omnia in sequentibus magis dilucidare conabimur. (*b*) Ibid.

THESIS XXIV. Dum hæc fiunt in corpore morbo tentato, viget *commotio* (*a*) vel virium inassueta distributio, sanitatisque vel concentûs motuum ejus feriatio, perturbatio, *febris*, quam ex symptomatis quibusdam habebis pro calore & frigore contra naturam, ordinatè vel non, sibi mutuò succedentibus, vel pro pulsûs frequentiâ, debilitate, vi, magis durantibus quàm in omni functione naturali; unde sectas omnes, Antiquiores cum Recentioribus, Theoreticos cum Clinicis, conciliabis. Demum febris erit in corpore deviatio virium, quæ ad quamdam partem vividiùs quàm par est tendentes, cordis præsertim motus, ex eo plerumquè augent aut disturbant; ubi sedulò notandum, hæc omnia solummodò febris phænomena quædam explicare; nam de ipsius febris essentiâ, non magis præcisè dici potest quid sit, quàm de naturâ motûs, caloris, aliorumque similium; quoniam in illis experientia aliundè satis informata sufficit, vel rectiùs edocet quàm subtiliores istæ definitiones; hinc qui circà febrim doceri cupit, ægros adeat necessum erit; quod non attendentes multi, tædiosa nimis protulere circà naturam febris, quam etiam pro morbo * in genere habere fas est; febris etenim magis vel minùs sensibilis aut insensibilis, generalis aut particularis, semper adest in morbis, saltem *eorum omnium comes est* (*b*). (*a*) Ex Sydenham. * Thes. 17. (*b*) Hippoc. de flatib. cap. 3.

THESIS XXV. In febre omni tria præcipuè existunt tempora; omnis febris triplex est vel rectiùs *tripartita*, dum febris v. g. suam præcipuè sedem habet in stomacho, ad stomachum primò pertinet; 2°. ad affectam simpathicè peculiarem partem; 3°. demum morbi finem constituit aut operatur; unde febres tres in febri quâlibet latè sumptâ vel pro morbo integro reperiuntur; viscerum turba cum irritatione partis affectæ, primam febrim constituit, vel febrem *irritationis*; partis peculiariter affectæ labore aut commotione existit febris *maturationis*; demum virium impetus quo pars affecta in pristinum statum restituitur, quod sæpe fit evacuatione, febris erit *evacuationis* *. Tempora autem illa febrium, aut febres illæ aliquandò intervallis sat evidentibus separantur; quandoque sat æquales existunt, sæpè inæquales; unde oriuntur morbi simplices, quorum tempora vel febres satis æqualia; morbi complicati & intermittentes, in quibus tempora alia in aliis veluti *subintrant*; insuntque simul in corpore morbi peculiares adventitii, morbis insiti, admixti, implicati; in chronicis morbi tempora eadem magis aut minùs extensa atque inter sese distantia, juxta naturam partis affectæ, ætatem & temperamentum, observatio docet. Initium, incrementum, statum, atque finem Antiquiores in morbis rectè annotarunt; ast cum in statu vel in fine symptomata quandoque recrudescant, aut sint in statu debiliora quàm in incremento, hinc divisionibus illis non omninò confidendum, apparebitque prolata hîc divisio temporum, certior & evidentior, nec forsan contemnendæ utilitatis. * Thes. 21. 23.

THESIS XXVI. Juvabit, febris phænomena moresque perscrutanti, inflammationem & effectus ejus apprimè nosse; est enim inflammatio multorum morborum comes, causa, vel effectus; neque tamen inflammationem ubique suspiceris aut fingas; sin contrà eò cordatos induces Medicos ut dubitent, num Antiquiores circà inflammationem ipsammet sapientiores aut feliciores quibusdam Neotericis, quorum inflammationis scientia ultrà

modum ducta nimis exacuit animum, quoad curationem inflammationi propriam, simulque obtundit sæpè, quoad genuinas indicationes, incautos fallente theoriæ superbioris imperio. Inflammationis facinora haud pauca, haud incelebria temporibus nostris; eorum ut fons exarescat, statim prætermittendæ videntur minutissimæ tot disquisitiones, queis Vieussenii atque Chiraci, inflammationis theoriæ Magistrorum, documenta tumidè nimis ornata fuêre vel onerata. *Circà hæc Philosophantium turba nugatur* (a).

*Sydenham.

Thesis XXVII. Medicis erit inflammatio,*sanguinis, caloris, viriumque collectio in parte, nervorum ope & vasculorum, in quibus contenta moveri possunt antrorsum & retrorsum, fluereque aut refluere, juxta oscillationum vires & determinationes; vascula hæc viribus iis *erecta* tot diceres radios vibratos in centrum peculiare; centrum autem illud nil plerumque reverà est, nisi inordinatio lamellarum aliquot textûs cellularis *velut spinæ infixæ* (a) vicem gerens, ita ut partis inflammatæ vis ultrà modùm aucta, *furens* (b) non malè dicatur, ipsaque pars inflammata mutetur in centrum, vires & humores vividiùs attrahens, advocans, devians.

(a) Helmont.
(b) Idem.

Thesis XXVIII. Sunt igitur in quâlibet verâ inflammatione unicum aut plura centra, veluti *nuclei*, aut textûs cellularis lamellarum compressiones, hinc coalitiones, (quoniam inter sese facili negotio adhærent mucosæ lamellæ ni perpetuò moveantur); unde partis inflammatæ in statum pristinum sive sanum aut naturale omnimoda omninò reductio impossibilis, observatione ipsâmet semper callositates aliquot monstrante, quæ sunt reliquiæ inflammationis. Resolutio ergò perfecta, vel sanatio intaminata partis verè inflammatæ, rarissima avis in terris.

Thesis XXIX. Porrò venularum, arteriolarum, aut vasculorum iis interpositorum plethora simplex possibilis, velut anevrismales aut varicosi affectus, non multò magis ad inflammationem referenda quàm œdemata ipsamet; ita ut dum apertis cadaveribus, maculæ, echymoses, vasorum plethora simplex apparebunt, uti frequentissimè accidit, haud semper accusanda inflammatio. Cautus sedulò partem in aquâ lavabit, coalitiones sic deteget, unde & luculenter patefiet inflammatio, modò hujus signa legitima in vivo præcesserint, scilicèt dolor, morbi velocitas, tensio, febris & spasmus exquisitus; si verò coalitio nulla reperiatur in organis potissimùm quæ membranosa omninò non sunt, pars repleta fuit forsan ex motus feriatione, non verò inflammata ex virium suarum adauctione, quod sedulò notandum: an verò inflammationem rectè cognoscendi & ab *ingurgitationibus* vasorum distinguendi urgeat necessitas nullus dubitabit; hæc enim ad praxim quotidianam spectant.

Thesis XXX. Organum ergò cellulare *textusve mucosus* præbet sedem in inflammatione, extenditur in tumorem, ferè enim nullus tumor in membranis simplicioribus textu mucoso parum præditis; præbet prætereà textus ille cellularis *mucosam* materiem aut *gelatinosam* ex quâ coalitio fit & augetur, materies illa succus est nutritius in lamellas adhuc non rectè extensus, (alimentorum olim pars mucosa), qui multis in morbis turget in sanguine dum à textu cellulari non excipitur; non secùs ac bilis in sanguine redundat ab hepate haud secreta; ubi notandum quod uti omnis inflammatio hepatis icterum non semper affert, ita & morbi quidam corporis integumentorum, seu textus cellularis eorum, velut erysipelas, succum nutritium ad sanguinem copiâ ingenti non semper amandant,

Aſt plerumque *gelatinoſus* ſeu *nutritius* ille ſuccus in ſanguine extracto cuticulas aut concretiones componit ex abundantiâ & ex concreſcendi innatâ proprietate, dum quieſcit; cuticulæ enim illæ quæ eò magis indureſcunt quò diutiùs in patellâ v. g. remanent aut quieſcunt, malè febris calori tribuuntur, qui nunquam ad gradum concretioni proprium pervenit, neque feliciùs materiæ morbificæ, quæ ſæpè nulla eſt, ut accidit v. g. in inflammatione à ligaturâ in corpore ſano. In omni igitur ferè morbo adeſt in ſanguine plethora ſucci nutritii, & quæ ſanguini innatant concretiones in acutis & chronicis, nil niſi ſuccus idem redundans, quoniam textus cellularis nutritioni non vacat. An ex eo ſanguis nutricibus demptus, præſertim ſi febris adſit, facillimèque albicans, Medicis imponit, humorem & colorem à corruptione judicantibus (*a*)? Imò non ſecus ac hîc ab uberibus in ſanguinem quem inquinat refluit lac, ita & à pari refluit ſuccus nutritius, *ſic in puerperâ, ſanguis è venâ extractus, aliquando lacteus fuit* (*b*).

(*a*) Vide Ballon. epid. lib. 1.
(*b*) Idem. conſ. 17. lib. 1.

THESIS XXXI. Ex eodem ſucco malè applicato, fiunt inflammationis *nucleus*, cicatrix *, coalitio, tumorum multorum carnificatio, polipoſæ ſanguinis concretiones in vaſis ipſis, dum præſertim venæ ſectionum copiâ nimiùm motu ſuo viribuſque orbantur vaſa. Ille idem ſuccus nutritius, aquoſo latici immixtus, heterogeneos præbet humores, morborum effectus, in urinis, ſputis, ſudore reperiundos, abceſſuum metaſtaſiumque materiem. Sic inflammatio ſæpe terminatur evacuatione materiei, quam Galenus pro pure malè habuit, *pus enim ex carne fit, ſimpliciter purulentum ex ſanguine, & ex reliquo humore* (*a*). Num materies illa à pure diſtinguenda, ex eo quod urinæ ſit miſcibilis, quod puri ſincero recuſandum? Excretionibus morborum ultimo tempore fientibus, ſæpe excernitur dum favent organa. Succus demùm idem nutritius ſpongioſis partibus immixtus, ſphaceli & gangrænæ materiem præbet peculiari naturæ labore, qui cadaveroſæ putrefactioni haud omninò ſimilis; fætor enim gangrenæ non magis ad putrefactionem reverà attinet, quàm fætor materierum fæcalium; ita ut quæ de antiſepticis ſpecificis, ingenti niſu prolata, manca omninò experimentis demonſtrentur. Hæc verò * ad chronicos ſpectant morbos veluti ad acutos, ſolutio illorum, reſolutio vel ſuppuratio, ædematia, vaſorum peculiaris plethora; aliquando enim *quædam corporis partes copioſo ſanguine refertæ, aliæ verò exangues fiunt* (*b*); hos autem in humoribus eventus, à vitiatâ diverſimodè ſolidorum vi oriundos ſemper habeas.

* Vid. §. 3.
(*a*) Hipp. de aliment. cap. 3.
* Theſ. 30.
(*b*) Hippocr. de flatib. cap. 3.

THESIS XXXII. Cauſarum etiam examine, chronicorum cum acutis ſimilitudo demonſtratur; cauſas autem dico corpori inhærentes, immutabiles, morbos continentes; remotæ enim morborum cauſæ, quæ verbi gratiâ ab aëris mutationibus dependent, vix ad Medicos pertinent; his ſaltem ipſos, ut quidam augurantur, inſiſtere neceſſum omninò non videtur; neque enim à ſcopo aberrandum eſt; prætereà quæ ad quamlibet regionem ſpectant haud difficili negotio diſcuntur, millena hâc de re experimenta *fruſtrante* Phyſicorum *diligentiâ* (*a*) inſtituerentur; quæ enim de cælo & ſolo, ſicco & humido, calido & frigido, de aëre & aquis ſcitu neceſſaria, uti ab Hippocrate apprimè expoſita (*b*), ita & vulgo ipſomet, variis in regionibus obſervata; cauſæ igitur illæ operosè non inquirendæ quas docent uſus, experientia, ſeniorum in peculiaribus regionibus præclamitationes, vulgi decreta, obſervatio facilis; dummodò Phyſicæ inſtrumentis, ſingulorum in ſingulis enumeratione, artificiali pompâ non obducatur ars, Hippocratis tempore longa, ideòque extraneis multis quæſ-

(*a*) Plin. lib. 31. cap. 3.
(*b*) De aer. loc. & aq. & alibi.

tionibus non producenda, sed supervacaneorum amputatione contrahenda.

Thesis XXXIII. Quod spectat ad miasmata, aut atomos deleterios, venena, atque virulentum omne corpusculum, quæ juxta vulgi consensum, sæpe sæpius accusantur, & ideò specifica sibi vindicant, notandum hujusmodi miasmata, in rerum naturâ certissimè existere, corporis nostri inimica. Ast 1°. natura eorum hucusque ignota penitùs, æternâque forsan caligine obducetur. 2°. Expertum putamus, horum multa corpus lædere eâ solummodò proportione, quâ, ipsi inest peculiaris quædam miasmata recipiendi dispositio; sic quod parti alicui inimicum, aliis non rarò medicamentum, quod apprimè notare expedit. 3°. Modus quo corpus vivens miasmatibus illis inquinatum corrigitur, specificorum dictorum vi, aut alio modo, vitæ leges semper sequitur, & phænomena morbosa excitat, juxta partium affectarum motum, sensum, functiones; unde colliges 1°. miasmatum naturam ut potè quæ incognita penitùs, nullo ratiocinio oppugnari posse, atque metam Medicorum haberi; 2°. statum corporis miasmatibus fovendis aptum, Medicorum objectum verum esse, quatenùs ad corporis temperamenta, idiosyncrasiamque spectat; 3°. potissimùmque phænomena colligenda morborum, quorum ope miasmata in corpore recepta, arte vel naturâ expelluntur, in iisque dirigendis, compescendis, aut excitandis juxtà corporis motuum œconomiam, allaborandum.

Thesis XXXIV. Exemplo sit variolarum virus; à loco in locum progreditur tempestatibus quibusdam, inquiunt, esto; ast cur inerme, plerumque, illis qui variolis laborarunt? Nonne in ipsorum respiratione, salivâ, alimentis quibus vescuntur, immiscetur, penetratque sanguinis vias? Imò & cur in ipsis qui variolis actu laborant, scilicet in fine morbi inerme? quoniam inviscatum virus dici nequit; namque si purulenta variolarum excretio corpori viventi, variolas non passo applicatur *inoculatione*, variolas excitat. Pabulum ergo virus illud non reperit semper in corpore, seu dispositionem, quæ variolarum insultu ultimo destructa fuit: hæc eadem dispositio, vera, continens, morbi causa videtur; hæc aptitudo, phænomena quæ ipsi in actum redactæ succedunt, atque mutationes eorum, aut effectus, Medici onus, objectum legitimum, unicum, cætera accessoria habeantur, & remota nimis.

Thesis XXXV. Veluti mulier sterilis fit, aut non, à corporis peculiari dispositione, ita multi virulentis miasmatibus, minùs aut magis intaminandi corporis compage, temperamento; & quidèm morbi primum insultum atque phænomena ejus, non insulsè ad quasdam generationis leges referres, utrinque nescio quæ animantis succussio, mutatio subita, deinque corporis functionum nova series, modus novus, excretione solvendus. Atqui si temperamenta aliquot, morborum seminia facilè fæcundant, nec desunt, quæ causas omnes morborum, in peculiares affectus mutent, ut sunt asthmatici, arthritide laborantes, & alii non pauci, qui in quâlibet epidemiâ, arthritide, vel asthmate laborant, licèt vulgò pleuritis, aut angina &c. grassetur; ita & saniorem eum fore augurandum, qui miasmatibus multis resistere capax, vel ex naturâ suâ, vel ex proprietate adventitiâ; venenis enim ipsismet quidam assuescunt. Temperamentum igitur, idiosyncrasia, morborum ager verus, quem aëra, vel aquæ, vel alia serunt, colitque Medicus extranea, juxta naturæ modum, evellendo, vel eorum seminibus (quæ mutare nequit), pabulum auferendo, seu corporis constitutionem mutando. Immutata aut immutabilis constitutio, Turcarum verbi gratiâ, eos pesti obnoxios

obnoxios reddit, uti Anglos sudori suo, &c. Id curandum Medico, ut sua norit; unde multa sponte nascuntur, adversus eos qui non nisi epidemias, morbosque Regionum inquirunt, perpetuò eadem, paucis mutatis, colligentes pingentesque, dum corporis viventis historiam negligunt; Medicum enim minùs scire oportet, quænam constitutiones aëris epidemiarum causæ fuerint, quàm rectè tenere, quænam corporis dispositiones, seu quæ temperamenta, his epidemiis obnoxia, aut non. *Omnis Medicus sciat quid est homo, ad ea quæ comeduntur ac bibuntur, & non simpliciter, quòd malum edulium est caseus, nam & alia multa mala sunt; sed caseus non omnes homines lædit, eorum enim naturæ differunt, juxta hoc quod est in corpore, caseo contrarium, si enim toti humanæ naturæ malus esset, omnes utique læderet* (*a*).

(*a*) Hippocr. de veter. Medic. cap. 9.

Thesis XXXVI. Causas morborum exsequamur immediatas, continentes, vel organorum laborem, & mutuas horum læsiones, quibus morbi constituuntur. Porrò Clinicorum omnis ævi consensu, inter organa morborum feracissima, ventriculus ejusque vicinia haberi debent, nullum enim ferè morbum reperies in quo ventriculi affectio non deprehendatur, vel uti causa primaria, vel uti causa secunda, principalis brevì fiens; ventriculi enim *provincia* inter generaliores exstat corporis, quod millenis probatur observationibus, quarum quædam alibi enarratæ (*a*), aliæ verò cognitæ satis; in omnibus enim morbis, Medici respiciunt præcipuè ad stomachum; nullaque adest vera convalescentia nisi priùs stomachus redierit in naturalem statum: unde mirandam *fertur Prometheus vim stomacho posuisse nostro* (*b*). *Stomachus partium omnium quasi promptuarium* (*c*). *Considero stomachum, non quidem per modum Galeni, ut sit saccus, vel ahenum nudum, coquendis cibis dicatum; sed viscus vitale, quod gustu pollet, olfacit, fertur que diversis appetitibus, tamquàm si animal esset & subinde quædam ita adspernatur, ut homo sæpe mori mallet, quàm unam buccellam invito stomacho, deglutiat* (*d*). Nunc quo mechanismo ventriculus morbos aliis partibus præbeat: undè morbi primò sympathici, dein idiopathici fiant, expedit perpendere; uti etiam omninò necessarium apprimè distinguere, quousquè morbi sympathici remaneant, idiopathici posteà habendi.

(*a*) Quæst. An omnes corp. part. digest. opitul. vid. Thes. 9.

(*b*) Horat. Od. 16. lib. 1.

(*c*) Galen. de usu part. lib. 3. cap. 1.

(*d*) Helmont. ignota actio regimin.

Thesis XXXVII. *Cum quis copiosiores cibos exhibeat quàm ferre possit, deinde cum varios & dissimiles inter se cibos assumit, dissimilia seditionem movent, quando corpus cibis expletum fuerit, obstructo inferiore ventre, in universum corpus flatus percurrunt & ad partes illapsi eas refrigerant*, inquit Hippocrates (*a*), festinans nimis, præmaturaque proferens, ut se hominem fateretur; flatus scilicet, aut spiritus, stomachi vim in organa exportantes mandavit, nescio quibus viis; neque multò meliora deinde finxere, ut erant exhalationum, vaporumque profluentes columnæ, à visceribus ad partes; donec Helmontius metaphysica sua Entia genuit, Archeos, iras eorum, morositates, atque lætitias. Anatomici & Chemici fermenta in medium protulêre, ad quæ, mutato nomine, *saburram* stomachi, *spissitudinem* humorum, vasorum ab eâ obstructiones, facili negotio referas. Atqui hypotheses illæ millenis obnoxiæ difficultatibus. Neque tamen is sum, qui fœtus hos omnes venerabilium Artis Principum protinùs suffocandos, aut à foro nostro ablegandos putare queam, proponere ausim; Spiritus enim Hippocratis, seu *vis impetum faciens*, nuper elegantissimè retractata, à melioris notæ autore (*b*), qui scholam suam exornat, à vulgaribus expurgat, & exacuit, ea fœcundans quæ doctissimus & diligentissimus selegit collegitque sodalis (*c*); vis, inquam, hæc impetum faciens, denuò perpensa,

(*a*) De flatib. cap. 3.

(*b*) Kaw (*c*) Vanswieten, nobile par Archiatrorum.

haud dubiè refulgebit; Helmontii quis plura Paradoxa meditetur, nec miretur ingenii viri hujus aciem? Aſt cuncta hæc Poſteris dicanda.

THESIS XXXVIII. Ætate noſtrâ ſatis effulget luminis, inceditque firmo ſatis gradu Veritas alma, ut citò malè firmatas proterat hypotheſes. Jamdudùm inter ſaluberrimæ Facultatis Magiſtros, circa vulgatiſſimas opiniones acritèr pugnatum eſt (*a*); denegabat materiebus *ſpiſſis*, *viſcoſis*, *lentis*, tranſitum ab inteſtinis in vias chyli Clariſſ. *Hecquet*, ſubterfugioque uſus eſt Clar. *Andry*, dum *ſpiſſa* vias lacteas non tranare ſilentio agnoſcens, *liquida* nimis *tenuiaque* voluit à ſtomacho in vias chyli immitti, quibus *liquidis* maſſa humorum *inſpiſſaretur*, vel eorum diſſolveretur *acrimoniâ*; verùm enim verò *liquida* hæc maſſâ ſuâ non *inſpiſſant* humores, *acria* hæc poſtulas? Spiculis hirſuta, macte, ſi placet Diis, acrimoniam ab *attritione* globulorum chyli *mechanicam* finge, fingi poteſt; cur autem ſpicula non figuntur in oſculis vaſorum lacteorum, quoniàm iſta ſunt minora diametro quàm vaſcula, in quibus inflammationes cient ſpicula hæc incuneata? Quî heterogenea illa, in ſanguinis oceanum prolata, ad partem inflammatione, doloreque affectam delegabis? Præthereà nimis, hercle, poſtulant dum in acutis præſertim, aridis cute & linguâ, inteſtiniſque ſpaſmo tentatis, ſecretione ferè omni in corpore feriante, contendunt venas lacteas materiem cujuſque exacerbationis ex inteſtinis haurire; exacerbatio enim omnis, ut aiunt, à materiâ morbificâ in inteſtinis nidulante, & abſorbtâ procedit; *cum materia febrilis ſpiſſa ſatis, à primis viis per vias chyliferas, in ſanguinis ſinum aſſiduò recipiatur, febris continua eſt; cum materia hæc, certis temporibus, aut abundantior, aut magis depravata vehitur, exacerbationes conſtituit* (*b*). Dum cuncta rigent, & convelluntur in corpore, venæ lacteæ functioni ſuæ infelicitèr indulgent! dum in acutis quibuſdam ipſammet deglutitam aquam in inteſtinis retineri monſtrat obſervatio, vel protinus ano, veluti in *lienteriâ* fit, excerni, tum ſpiſſæ acreſve materies lactea oſcula penetrabunt! Uno verbo, dum putridæ materiei in inteſtinis nidulantis colluviem, continuò ſanguini inquinamenta præbere prædicant, ſexieſque remandunt multi, coram vulgo ora intento tenente, hæc quidem vulgi pabulum. . . Aſt nil dubium quin in ſtomachi & inteſtinorum cavitate, multa in acutis collecta, impacta, excernenda contineantur, multaque in morbi curſu, trans colatoria abdominalia à ſanguine ſeparentur; neque etiam negari poteſt, cum chylo ipſomet, in ſtatu præcipuè ſano, quædam fortè vias lacteas, vel alias abſorbentes tranare, quæ ſtrictè chyli materies non ſunt; ſed *ſpiſſa*, *acria*, *coagulantia*, *irritantia*, *cauſtica*, non magis putandum introduci in venas lacteas, præcipuè in morbis acutis, quàm in glottidem aqua aut aliud omne quod non eſt aër, in parotides bilis, &c. quæ rariſſimè accidunt, nec poſſunt pro communi, quotidianâ, generaliori, morborum cauſâ haberi, ut videtur.

(*a*) Journal des Sçavans 1722, Avril, Juillet, Août.

(*b*) D. Fizes Monſpel. Profeſſ. celeber. tractat. de febribus cap. 5.

THESIS XXXIX. Nitidiora cauſarum genera, in morbis, ipſa Natura docet. Quis nervorum in inteſtinis irritationes, portentoſa etiam in remotiſſimis ab abdomine partibus procreare negabit? *Gaſtrici* ii nervi, quid non operantur ab abdomine, in particulam corporis omnem extenſi? Vade circà hæc monitus ad ægros; *Practicorum* meditare effata, omnia reperies adſtipulantia huicce morborum ferè omnium geneſi, nempe vitiatæ in viſceribus *gaſtricorum* nervorum actioni. Convellantur quocumque modo & quâvis ex cauſâ gravante, aut irritante, fiſtulæ inteſtinalis parietes, variè peſſumdatâ membranarum cohæſione, adunatione, ipſa inteſtina aut

alia abdominis organa, œdemate aut erisipelate afficiantur; præpeditis laticis serosi scaturiginibus, obducatur glutinosæ aut mucosæ materiei crustâ densiori quàm par est, superficies interna instestinorum; demùm ex vitiatâ nervorum actionis serie, intestinorum cavitas, anguli, sinus, diverticula, obturamentis materierum harum, vel aliarum, obstruantur; impediantur in visceribus humorum motus; sic irritatis nervis nexu mirando concatenatis, neque adhuc Anatomicis omninò extricatis, turbatur concentus virium abdominalium, & organa quæ consentiunt cum parte viscerum affectâ, in actione & functionibus suis, lædi adeò necessarium, ut nihil magis. Sic nive, verbi gratiâ, foliis & ramulis arbusculi oneratis, gravatur pondere arboris corpus, ad minimam fibrillam usque; sic radicibus ejus quibusdam erasis, contristantur folia, quæ ipsis respondent.

THESIS XL. Accedit germana irritationis causa, morborum utiquè feracissima, nec Hippocrati omninò prætervisa; *suffocantur quidam ægri, hepate & ventre, sursùm ad septum transversum, irruentibus* (*a*). Viscerum hæc in diaphragma irruptio, morbis quàm plurimis ansam præbere videtur; modò primas agit ventriculus turgescens, erectus, diaphragmatis ictuum impatiens; nec rarò intestinum Colon structurâ, vi, positu, agitabile valde, & sæpe in praxi notandum nec uno corporis infortunio reum. *Ex coli enim affectionibus, dolor modo ad costas superiores ascendit, quandoque, & speciem lateralis morbi præ se fert, modo sub spurias costas in dextram aut lævam partem, sic ut jecur & lien dolere videantur* (*b*). Turba etiam intestinorum tenuium, animal verum in animali, quaquaversùm sæpe insilit, sauciati anguis adinstar, neque nefariè minùs. Hìc hepar *præ tumore ad septum transversum expanditur* (*c*); quod potiùs exprobrandum spleni, hepate flexiliori, mobiliori. Molitur illic nefanda, sæpe furens uterus, mulierum dirus hospes, non rarò tyrannus. Turgent, inquam, & sursum ad præcordia feruntur viscera hæc, vel fœdus inter se ineuntia, vel seorsùm rebellia; diaphragmatis compressiones ægrè ferunt, à spasmo, & à flatibus, quos intestina huc & illuc motitant, foventve inordinatis constrictionibus. Hinc diaphragma in angustiis versans, motu suo orbatur, respiratio imminuitur, vasa præcordiorum turgent, appellunt ad caput humores; quæ omnia sensim & sine sensu fiunt in chronicis, promptiùs in acutis. Sunt etiam diaphragmatis compressiones quædam peculiares, in alterutro latere vel ad anteriora; unde diaphragma in parte compressâ sistitur, aut inclinatur versus pectoris cavum; pari passu pulmonis pars adnata huic angulo, magis aut minùs sistitur, aëris columnæ cedere nescia, solito modo non extenditur; ex imminutâ extensione desidia, torpor, liquorum in vasculis quies, textûs cellularis compressio, adhæsio, incipiens coalitio, irritatio, morbi inflammatorii sæpe nucleus, œdematia, convulsio, pectoris morbus à compressione diaphragmatis. Ab abdominis visceribus peritonei atque plevræ, diaphragmati conjunctorum, productiones distenduntur, juxta partem in abdomine læsam, unde virium in partibus multæ inversiones, seu morbi, aut affectus leviores, morborum elementa ab abdomine. Demùm ad caput & ad extrema corporis, morbi communicantur, vel nervorum vi, vel serie compressionum, & consectariarum læsionum; non secus enim ac hepar, splen, mesenterium, & renes, extrema corporis, capitisque regiones, tumore, dolore, convulsione, afficiunt, juxta *provinciam* suam (*e*), ita & abdominis cæteræ partes; *sic cachochymia dolores facit, qui apparent in pectore, ob consensum diaphragmatis, &*

(*a*) Hippoc. de Morbo Sacro sect. 3. c. 4.

(*b*) Aretæus de caus. & sign. acutor. Morbor. lib. 2. cap. 6.

(*c*) Hippoc. de intern. affectib. cap. 1.

(*d*) Recherch. sur les Glandes.

quia in thorace communis est membrana , & lateribus & diaphragmati ; sic in iis qui flatibus tenentur , circum mammas , & sternum , & latera , dolores surgunt ; sic initio paroxismorum , & in specie incubi , & contumaci obstructione viscerum , excitantur dolores in pectoralibus partibus (*f*). Anatomicis & Medicis intuere oculis, ut cellularis textûs sacculi in sese invicem agant , ab interioribus ad exteriora , à peritoneo & pleurâ , ad caput, ad superficiem corporis & ejus extrema; facili negotio per sacculos eos , morbosas compressiones prosequeris ; dum præsertim nervorum surculis , atque sympathiis attendes. Sic *minima pars , quidquid tandem pertulerit , ad cognatas referet, unaquaque ad suam , sive bonum , sive malum , singula transfert , omnia denuntiat* (*g*).

(*f*) Ballon. Epid. lib. 2.

(*g*) Hippoc. de loc. in homin. cap. 1.

THESIS XLI. Hæc ad merè possibilium classem non amandes ; erubesceremus prorsùs inobservata proferre. Juxta ægros, (dum præsertim acriter inquiritur morbi natura), labor improbus eò ducere potest ut augurari non rarò liceat , hæc esse vel illa phænomena viscerum compressionis in diaphragma ; ita cadaverum repetitis dissectionibus edocti, lætamur maculas , echymoses , gangrænas , in intestinis , in diaphragmate , in pulmonibus , & in ipsamet cute , compressionibus quas enuntiamus sæpè deberi. Monere , forsan , juvabit multa sedulò præcavenda , in cadaverum dissectione , dum ea quæruntur. Oh nimiùm ardua cadaverum apertio , dum pueriles ineptias agere vetat prudens hæsitatio ! Quidni ea proferremus quæ vidimus , & quæ urebant in pectore ; inutiles , prorsus inutiles fiunt, imperitiâ , tædio , festinatione cadaverum inspectiones plurimæ. Risum peritis movent multi , à se observata in cadaveribus narrantes ; nil in anatomiâ difficiliùs quàm cadaveris apertio ; neque jocentur inepti si dixerim expertus , operationes magis arduas , in quibus omne tulit punctum usus definitus , faciliori institui negotio in corpore viventi , quàm congrua & ad docendum apta cadaveris apertura, inspectio , observatio , relatio ; in iis perfectiorem methodum quis docebit ?

THESIS XLII. Inter causas morborum continentes , medicas , observabiles , eminet viscerum , abdominalium labes , in omnem corporis partem , illiusve circumferentiam repens , mutuo partium nisu , virium adauctione , aut imminutione. Hinc patet cur quibusdam morbis oculorum *alvi profluvium bonum* (*a*). Quis humores *acres , spissos , inflammantes* , à stomacho , per vias chyli , ad oculum proferri affirmaret ? Exindè , in hemicraniâ vomitus sæpe faustus ; materiem enim quæ vomitu excernitur , si voluerint particulas morbificas ad caput emittere , capitis vulnere vel succussione , particulas etiam quasdam morbificas emitti jubeant ad ventriculum , quoniam ille , plerumque , disturbatur ab ictu capiti inflicto. Hinc *quibus in febre , dolore lateris oboriente , alvus multa aquosa , biliosa egerit , hi allevantur* (*b*). Veluti enim lateris dolores , & sputum sanguinis , ars vomitu aut purgatione sanat , intestina mota componendo , dum opus est ; ita & natura , quæ in cavo intestinorum nidulantur egerit. Hinc *quibus dolores in humeris oborientes , qui ad manus descendunt , torpores , ac dolores inducunt , nigram bilem vomentes , sanantur* (*c*). Hinc *in febribus surditas alvum sistit* (*d*), Hinc pharmaci , veneni , vermium præsentiâ , in intestinis , morbi multi excitantur in partibus remotissimis ; quod in colicis pictorum graphicè exhibetur ; Hinc demùm ab alvo non depositâ , etiam in sanioribus , membrorum vulgò dolores , capitis oppressio , respi-

(*a*) Hippoc. Aphor. sect. 6.

(*b*) Hippoc. coac. prænot. tom. 1.

(*c*) Hipp. prædict. lib. 2. c. 17.

(*d*) Hippoc. coac. prænot. cap. 4.

tationis inordinatio ; individui totius sollicitudo. Num alia forent revocanda, inter millena quæ afferri possent? Ex iis num patet morborum fere omnium *seminia* in stomachi *provinciâ* quærenda? quod inposterùm luculenter confirmabitur.

THESIS XLIII. Morbi aliqui, in abdominis visceribus omnimodè exercentur, vel remanent in iis circumscripti, partes alias sympathicè tantùm agitantes; hi sunt vulgatissimi morbi, *operosæ* scilicet *digestiones*, *indigestiones*, febres *stomachicæ* veræ (*a*), classem constituentes uberrimam. Horum solutio vel in ipsis abdominis visceribus fit, vel discutiuntur, dum *in alias partes impetum fecerint* (*b*). Tempora tria * distinctu non facilia in merè stomachicis; ast sæpè solventur generali conamine; *debet enim omnis crisis esse universalis* (*c*). Cum stomachica febris in alium morbum desinit; tunc ipsa primum morbi tempus confecit, tumque morbus organo peculiari adhærens, seu idiopathicus factus, inflammatorius aut non inflammatorius, sua tempora percurrit; juxta partis affectæ morem, & affectûs gradum. Hinc febris exsurgit *stomachica* simplex, *ventralis*, *pectoralis*, *capitalis*, *articularis*, *cutanea*, tot morbi peculiares à generaliori febre, vel morbo, ejusdemque causis generalioribus manantes ipsimet; unde morborum partitio fœcunda, in praxi attentè perpendenda; quam normam in chronico morbo, velut in acuto, præbet adamussim sedula observatio.

(*a*) Heister. compend. Medic. practic. ex Stahlio & aliis.
(*b*) Aretæus de sig. & caus. diutur. morb. lib. 2. cap. 2.
* Thes. 21.
(*c*) Hippoc. prog. sect. 3.

THESIS XLIV. In morbi cujuslibet curatione, intendere debet Medicus, ut morbus progrediatur, atque solvatur, quantùm fieri potest, veluti excretio simplex, aut naturalis digestio *; ex morbo complicato, fiat morbus simplex, ex maligno, benignus; *conversio hæc caput rei est* (*a*). Morbus chronicus in acutum, si per vires ægri, per gradum & genium morbi liceat, mutandus; *vetustos enim morbos primùm recentes facere oportet* (*b*), particulares, generaliores. Morbi ex naturâ suâ incurabiles, temperamentum, immutabile, aut vitam peculiarem constituentes *, læthalesque omnimodè, non sunt curandi; *iis manum non admovet Medicus, cum hæc medicinam non posse constet* (*c*). Curabiles igitur morbi ab incurabilibus rectè distinguantur, non secùs ac signa evidentia quæ demonstrant morbi *stomachalis* aut *pectoralis* &c. præsentiam, atque ipsius tempora *. Num autem phænomena adsint, aut signa, quæ deprehendi possint, & quibus morborum tempora apertè demonstrentur, & denuntientur; num dici posset v. g. en pectoralem febrim, in statu suo *irritationis*, vel *maturationis*, quæ tempus *excretionis* citò vel tardè attinget, & sic de cæteris?

* Thes. 13. 19.
(*a*) Heister. compend. Medic. practic.
(*b*) Hipp. de loc. in homin. cap. 13.
* Thes. 14. 20.
(*c*) Hippoc. lib. de arte.
* Thes. 25.

THESIS XLV. Excretioni morbum æquiparare æquum est, tempus & ejus ultimum, tempus excretionis appellare, quoniam * morbus omnis dum sanatur, præsertim juxta naturæ normam, excretione aliquali desinit aut solvitur, sive fit acutus, sive chronicus. Excretionem hanc *crisim*, aut *solutionem* dixere multi inter Antiquiores. Crisim præparans febris seu tertia febris prædicta *, *perturbatio critica* erat. In omni morbo, vel cùm perturbatione, aut adauctâ febri ultimâ, excretio fit, seu crisis sensibilis; vel absque perturbatione, aut febris ultimæ adauctione evidenti, excretio aut crisis lenta, minùs evidens, quæ *solutionis* speciem gerit; ubi annotamus *excretionis* nomen magis à sectâ alienum, quàm *crisis* vocabulum, quod *autocratiæ* naturæ pugnantis pro ægro *, nimis favet. Cum autem excretiones fiant in corpore sano, quæ corpus non sublevant, contra verò, uti

* Thes. 23.
* Thes. 25.
* Thes. 33.

ſudoris violenta excretio, vel ſeminis, vel lactis; ita & fieri poſſunt naturâ vel arte criſes, quas mancas, inutiles, nocivas, habere, non verendum. Quædam ſunt excretiones quæ perfici nequeunt, quin corpus convellant, juxta organi excernentis *provinciam*, uti ſeminis excretio; aliæ fiunt ſenſim & ſine ſenſu, uti evacuatio bilis, ac ſucci pancreatici; ſic criſes quandoque perturbatio valida præcedit, vel ferè nulla. Sic excretio, omnis, humorum præparationes ſupponit, quibus proſpiciunt ſolida; quod etiam in criſibus accidit; vis enim corporis ſiſtaltica, excernenda ſubigit. Sic, veluti in ſtatu naturali, ſecretio quælibet, præviâ colatorii indiget erectione (*a*) quâ, per hujus organi vires, diſpendio virium totius corporis adauctas, ſecernenda advocentur, & proinde excernenda depellantur; ita criſes perfectæ, quæ in iiſdem præcisè organis fiunt ac excretiones, motum aliis functionibus proprium ſibi vindicant. Pleræque fiunt excretiones ſtatis 24. horarum temporibus; ita & criſes ſua tempora habent, dies forſan & horas (*b*); veluti horæ peculiares atque periodi notantur excretionibus, aut ſecretionibus. Demùm excretiones fieri, & gubernari juxta digeſtionis modum, laborem, atque tempora, veroſimillimum; ſic criſes moventur, & diriguntur, febris ipſiuſque exacerbationum motibus *. Porrò qui longiùs progredietur, criſes excretionibus æquando, num multa inextricata adhuc ſolvet problemata, quorum reſolutione conſiſtit eximia Medicina?

(*a*) Recher. ſur les Glandes.

(*b*) Diction. James; Variolæ.

* Theſis 19. 84.

Thesis XLVI. Notandum in morbis quibuſdam, criſes aut excretiones ſat faciles eſſe, in aliis verò difficillimas; unde exurgit inſignis morborum diviſio, quam Medicus ſemper meditetur oportet. Cum excretionis cujuſlibet integritas, aut perfectio in eo conſiſtat, ut illa fiat tempore, modo, facilitate, ut inde functionibus ritè perficiendis corpus maneat idoneum; ita criſibus eadem optabilia. Atqui nil magis excretiones, in ſtatu naturali vel præternaturali, lædit, quàm vis nervorum nimiùm & inordinatim irritata, ſeu ſenſibilitas nimia, quæ animi pathematis ſæpe debetur *. Si ſit in morbo hæc diſpoſitio *nervoſa*, excretionibus admodùm moleſta, morbus *nervoſus* erit (*a*), criſes avertens; ſin contra, *humoralis*, ut potè qui ad excretionem criticam, facili ſatis negotio, tendat; lex ſanè in morborum curatione, quotidie revocanda, ex quâ diſtingues benignos morbos à malignis, lentos à velocioribus, heroicâ medicatione oppugnandos ab iis quos tempus, victûs ratio, adminicula quædam, blandities, & expectatio ſanant.

* Theſ 13.

(*a*) Specimen novi Medic. conſpect.

Thesis XLVII. Ars morbos ſanat, criſim & excretionem præparando, excitando, vel cum febris, aut ſymptomatum quorumdam, febris vices gerentium, adauctione, (quæ perturbatio excretoria *artificialis* dici poſſet), ut in vomitu, validâ purgatione, ſudore; vel lentas excretiones promovendo, quam criſim, ſive arte ſive naturâ provocatam, Antiqui *fluxionem* nuncuparunt. Qui excretionem celerem aut lentam, uti opus eſt, excitare novit, ille Medicus eſt; dum præſertim rectè definivit, an, cur, quando, excretio celer, lentæ & tardiori præferenda; an & quando lenta celeri præſtet. Præterea, Ars morbos, contra ſuſpicandum naturale ipſorum molimen, aggredi novit & audet; ſcilicet evacuationibus artificialibus, aut aliâ peculiari therapeïâ morbum ſiſtendo, caſtrando, ſicque invertendo criſes quæ rectè minùs, aut perperàm per incongrua colatoria fierent, ſi morbus ſibi permitteretur. Fatendum aleam iſtam eſſe periculo plenam, & in dubio nimis illo conſilio, ſatiùs morbo obtemperaturum fore; nam *quod ars uno velut impetu ageret, id natura cunctando, ac tardando felicè*

successu consequitur (*a*). Unde qui morbi castrati; suffocati eventum, prudens & sagax noverit, & quousque methodi hujusce jura & usus extendantur, eximius ille Medicus, exquisitissimæ Medicinæ possessor, de quo Paganis dicere licuit, *Medicus Philosophus Deo æqualis* (*b*).

(*a*) Ballon. consil. 34. lib. 1.

(*b*) Hipp. de decent. ornatu.

Thesis XLVIII. Ex dictis patet quid inter morbum chronicum & acutum simile intersit, quoniàm morborum modus, & tempora, horum præcisè essentiam non mutant *. Morbus omnis excretionis labor est, excretione solvendus ni occumbat æger. Tempora tria potissimùm, in morbo quolibet, adsunt notanda *. Prætereà morbus chronicus erit omnis affectio, acuta fieri non potens, vel morbus *qui facilè concoqui nequit* (*a*); acutusque, vel intempestivè castratus, vel non omninò terminatus, chronicus fit; ex simplicissimo etiam affectu, ad morbum usque magis complicatum, gradatim ascendes. Demum non secùs ac acutorum circuitus atque periodi noscuntur, ulteriùs tamen explicanda; ita & eadem in chronicis deteget fausta quædam dies. Num ætates ipsæmet morbi sint, in quibus ætatis mutatio crisis est, aut aliquali mutationi veluti criticæ favet? Sic pubertatem in viris & fœminis ut crisim pueriliis ætatis, seu morborum ejus, habere posses. Num Hippocrates *pachisinum per sex maximè annos detinere affirmavit*, & hujus speciem *sex mensibus sanari*, & alium *intra biennium* (*b*)? *Morbi num aliquando annui, aliquando septennes* (*c*)? Ars nostra, fulgentior, major, veneranda magis assurget, dum morbos ab aliquot diebus, mensibus, annis, sua percurrentes tempora, vel ad annos duraturos, vel menses, vel dies, rectè determinare noverit, & exinde curationem instituere. Hoc *vitæ verè interest* (*d*), eòque magis optandum, quòd impræsentiarum, sicut olim, *sæpe reperitur dissonans & turbulenta curationis ordinatio* (*e*), vel *tumultuaria medendi ratio* (*f*).

* Thes. 21.

* Thes. 25.

(*a*) Galen. comment. Aphor. 14. sect. 2.

(*b*) Hipp. de intern. affect. cap. 52.

(*c*) Ballon. consil. 106.

(*d*) Plin. lib. 31. cap. 3.

(*e*) Cælius Aurelian. morb. Chronic. lib. 3. cap. 4.

(*f*) Ballon. Epid. lib. 2.

II.

NUNC pandat Experientia thesauros, rationi amicè illucentes observationum fulgore, quem nunquam nubilabunt senio tempora, nec hypotheses fuco mutabunt, nec in contemptum ducet usus; his, proposita huc usque probare, confirmare, explicare conabimur, ratiocinia experimentis fulcientes, experimenta ratiociniis conjungentes; exsurget forsan firmiter stabilitum opus, firmiter adstructa manebit operis materies.

Observatio I. Juvenis optimè valens cecidit ab alto super sterni partem inferiorem, contusi fuerunt epigastricæ regionis parietes, incassùm tentata auxilia quælibet: omne omninò à tribus mensibus vomebat æger, febre doloreque gravi in parte affectâ, inappetentiâque laborans; potus ex *fonte calido Bareges* * composuit stomachum; ventriculi appetitus, & digestio 3. ipsâmet die, bene se habuere; recruduit tamen affectus 10. aut 12. die adaucta symptomata; tùm post quietem aliqualem, inchoato iterùm potu *aquarum balneorumque temperatorum*, intra dies 30. perfectè sanus evasit æger (1).

* Bareges 1751.

(1) Observationes hîc referam, ex iis potissimùm quas ipsemet in fontibus mineralibus collegi, annis 1749. 1750. 1751. Tunc mineralium omnium aquarum, in Aquitaniâ, *Inspectoris Regii* officio fungens diplomate Regio. Diarium autem quotannis Illustr. Regni Administris, & Illustr. Archiatrorum Comiti, ex Regis mandato, misi; hæcque diaria præ manibus habet Illust. D. Senac. Fontibus in ipsis natus, ab incunabulis paterna præscripta degustavi; Medicos quotquot sunt in Patriâ, quos veneror omnes, & quibus non pauca me debere profiteor, novi, differentes audivi, interrogavi, Chirurgos & Pharmacopœos, tùm & balneatores & balnatrices, seniores demùm fontium amatores, millenosque ægros; his omnibus multa edoctus, iis præsertim nunc

Observ. II. Muliercula post partum, debilitate stomachi, vomitu, inappetentiâ, febre, laboravit: *potu aqarum Bonnes* *, paucis diebus, 12. scilicet aut 14. sanata est, adauctâ febri ex usu *aquæ* circà primam hebdomadam.

* Bonnes 1751.

Observ. III. Quidam pondere juxta stomachi regionem, stupore, doloreque assiduè afficiebatur; angebaturque potissimùm animo, suppurationem in ventriculo suspicari non desinens; erat etiam respiratio diu noctuque difficilis, dum imprimis urgebant animi pathemata; *potu aquarum Chaudes* * ipsarumque balneis, restitutâ flexilitate cuti antea aridæ & asperæ, convaluit æger, circa 20. diem.

* Chaudes 1751.

Observ. IV. Juvenis mulier, sat robusto temperamento prædita, animi pathematis divexata, tertio post partum mense, ab ipsomet partu, angebatur stomachi quodam torpore, debilitate, impotentiâ ad motum, rei familiaris aversatione; post prandium cuncta recrudescebant, vehementer dolebat stomachus; tum veluti perculsa casu, stabat immota rigens ægra; ipsâ verò in lecto stratâ, sponte brevì evanescebat tetra mortis imago; prætereà fluor perpetuo albus, (catamæniis deficientibus), manabat. Frustrà tentata remedia omnia. *Aquarum calid. Bareges potus* *, 4. ipsamet die faustus, addita balnea *temperata*; unde florida sanitas, vires, animi lepores, catameniorum scaturigo vivida, circa 20. diem; dein præsto fuit graviditas, marito lætante.

* Bareges 1751.

Observ. V. Vir siccus, vorax, & qui nimiùm gulæ, venerique indulserat, à sex mensibus, per digestionem, dolore stomachi, nunc vivido magis, nunc minùs, tentabatur. Multa in vanum expertus est remedia; *aquæ calidæ Bareges* *, matutinis horis epotæ, morbum per 10. dies auxère, febremque sat vividam accersère, his inter mensam postea epotis, additoque *balneorum temperat.* usu, circa 30. diem æger perfectè sanatus est. Dum curationis tempore, negligebatur aquarum usus in prandio aut cænâ, malum solitâ ferè rabie sæviebat, donec stomachus vires omninò recuperaverit.

* Bareges 1751.

Observ. VI. Hispanum cujus digestio laboriosa valdè cum nauseis, imò & singultu non raro, prorsùs dolentibus *epigastrii* parietibus, sanavit intra 20. dies *aquæ calidæ Bareges potus* *, priùs adaucto malo. Tum & biliosum, stomachi dolore ructibusque acidis valdè obnoxium, qui circa 7. diem bellè, & cum oblectamento, digestioni vacavit.

* Bareges 1751.

Thesis XLIX. Morbi ii omnes *stomachici* simplices * sunto. Observ. I.

* Thes. 43.

utor quæ pro modulo ipse vidi. Decem abhinc annis aquas nostrates Medicus expendi; anno 1746, juvenile specimen edidi, (*Lettres contenant des Essais sur l'Histoire des Eaux Minérales du Bearn & du Bigorre... Journal des Sçavans Mars 1748.*) Clar. Meighan, Medicus, anno 1742, opus circà aquas Bareges, Anglico idiomate, edidit ex quo observationes quasdam excerpam: (*A treatise of the nature and powers of Bareges baths and waters.... London.* Anno 1748. Colendissimus Pater Antonius de Bordeu, Doctor Medicus Monspeliensis, qui triginta & ampliùs abhinc annis, aquis nostratibus in praxi quotidianâ utitur, opus publicavit, quod quandoque revocare licebit: (*Dissertation sur les Eaux Minérales du Bearn, à Paris chez Quillau*, *voyez Journal des Sçavans Decembre* 1752.) Prætereà me absente observationes collegit colend. Pater pro diario anni 1752, jam Illustr. Archiatr. Comiti oblato. En opusculi hujus vera fundamenta. Fontes autem, de quibus hìc potissimùm agemus, quinque sunt numero; *Bareges*, *Bannieres*, *Cauterès*, (*dans le Bigorre*); *les Eaux Bonnes*, *les Eaux Chaudes*, (*dans le Bearn.*) Minerales illæ, thermales omnes, *Bareges*, *Cauterès*, *Bonnes*, & *Chaudes* odorem habent veluti sulphureum, argentum nigro colore tingunt; *Bannieres* verò nec odorem illum habent, nec alium, neque argentum inquinant, &c. &c. *Vid.* §. V.

docet

docet eos ventriculi aut ipſius viciniorum echymoſi foveri, vel ab humorum in iis inordinatâ diſtributione, tùm & virium inæquali conamine, irritatione pendere. Obſ. 2. 5. 7. chronicum quandoque, dum ſanatur, in acutum mutari ſuadent *; ventriculi *provincia* ex quâlibet harum obſervatione demonſtratur, ſtabilitur. * Theſ. 44.

Observ. VII. Mulieri ſiccæ, hyſtericæ, poſt dyſſenteriam, ſupervenit lienteria. Alimenta etiam aliquandò à duobus diebus aſſumpta vomebat, remanentibus in ſtomacho quæ pridiè vorata fuerant. *Aquæ Calidæ Bareges* *, convulſiones totius corporis, inſomniam, ſingultum, eryſipelas procrearunt; eâdem, nihilominùs, acritèr perſtante medelâ, circà 40. diem ablata fuere ſymptomata. Lactis uſus curationem abſolvit. * Bareges 1751.

Observ. VIII. Virum corporis firmâ conſtitutione divitem, edacem, obeſum, à ſex menſibus diarrhæâ laborantem, intra paucos dies, 20. ſcilicet aut circiter, potus *aquarum Cauterès fontis Laraliere* * ſanum fecit omnimodè, non ſecus ac alios qui vomitu cruciabantur; in vomitu enim maximè conducunt *aquæ* illæ. * Cauterès 1751.

Observ. IX. Vir craſſus, toroſus, illuſtris comedo, viſcerum abdominalium perturbatione, diarrhæâ veluti periodicè ſæviente, flatibus, reſpirandi difficultate, necnon urinarum mutationibus obnoxius, alvum magnoperè exoneravit potu *aquæ Bannieres fontis de l'Ane* *, primis ipſiſmet curationis diebus, ex quò circà 20. priſtinam vivendi normam denuò amplexus eſt. * Bannieres 1750.

Observ. X Nobilem virum, bilioſum, edacem valdè, igneo temperamento excandeſcentem, colicis doloribus ſæpè recrudeſcentibus, quos fœcum copia abundans ſolvebat, emaciatum, potus & balnea *aq. Bannieres, font. Salut.* & *du Prés* *, incolumen à tribus annis ſervant. * Bannieres 1751.

Observ. XI. Vir ſicco & bilioſo & temperamento præditus, qui colicum dolorem quotidie digeſtionis tempore recrudeſcentem experiebatur, undè alimentorum pridie aſſumptorum diarrhæa, *aquarum Chaudes potu* *, curatus eſt: non ſecùs ac alter, eodem morbo laborans, ſæpiùs cum vomitu. Sic minerales virum eædem litterarum ſtudioſum, diarrhæis & flatibus obnoxium intra 20. dies ſanarunt, graviori priùs excitato æſtu in toto corpore. * Chaudes 1750.

Observ. XII. Virgo matura viro, nullâ præciſè functionum labe rea, *epigaſtrium* verſùs & regionem lumbarem, moleſtè ſuccutiebatur ab aſſumpto cibo, vitam ſine dolore degens dum ab omni cibo ſeſe abſtineret, *potu aquarum Bonnes* *, integram recuperavit ſanitatem. * Bonnes.

Observ. XIII. Viro nobili diarrhæâ à ſex menſibus laboranti, multùm emaciato, 40. circiter die, efficienter profuit *potus aquarum Bonnes*. Ciborum faſtidii, quod per biennium ſævierat, ut & ventriculi debilitatis, duarumque lienteriarum curationem abſolvit *potus aq. Bannieres, font. du Prés* †. † Circà aqu. Bannieres opuſculum anni 1737, edidit Deſcaunets, hunc *teſtem* habebo.

Thesis L. En morbos ab inteſtinorum omnium turbentulo motu, ſeditioſo conamine, quos ad alios * facili negotio referes. En aſſertionis prolatæ * fundamenta vera. Utinam muſculi hujuſce cavi varios, evidenter, motus, conatus generales aut particulares, à ſtricto aut laxo, doceat tarda nimis dies! *Febrim autem ſpaſmum ſolvere* (a) uti docuit Hippocrates, quod maximè prædictis * favet, ita luculenter demonſtrant Obſ. 2. 5. 9. Inteſtini coli vis & actio indicatur Obſervatione 10. & 12. * Ab obſ. 1. ad 5. * Theſ. 39. (a) Hippoc. Aphor. * Theſ. 44.

Observ. XIV. Viro ætatis ſuæ 38, gracili, ſicco, aliundè ſano, qui vitam honeſtè degebat, acceſſit aurigo paulatim, nec comeſſationis, neque fla-

gitatiosæ libidinis, nec animi vulnerati hîc progenies; aderat tantùm appetitûs prostratio aliqualis lentè progrediens, *aquæ Bannieres font. Salut* *, matutinis horis epotæ, non rarò per diem, intra 30 dies circitèr, prostratum appetitum redintegrarunt, expulsâ urinis & ano bile, vel restituta functione morosi hepatis.

* Bannieres 1750.

OBSERV. XV. Melancholicus homo, robustus, hæmorrhoidum fluxui obnoxius, fluxu feriante, ictero nigro correptus est; hunc, intestinis fæces nigras abundè excernentibus, nec sine virium prostratione dolore, febriculâ curavit *potus aq. Bannieres font. de Laserre* *.

* Bannieres 1751.

OBSERV. XVI. Juvenem, turgidus lien & acerbus, viridi colore, per omnem corporis habitum inficit. Epotæ *aquæ Cauterès font. Laraliere* *, nimium primò accersivere appetitum, ex quò mox prodiit in digestionibus labor cum febriculâ; dein corporis nitor, pax lienis, virium redintegratio circa 20. diem.

* Cauterès.

OBSERV. XVII. Virum ex corpore sanum, ex animâ vividissimis angoribus implicatum, flavedine biliosâ infectum tempore digestionis, aliundè virium prostratione jam urgente, cum macie plus quàm incipiente, appetitûs inopiâ, obtuso in vitæ functionibus oblectamento, vitæ pristinæ restituerunt *aquarum Bonnes* & *Chaudes* * *potus* & balnea; ventriculo calcar adhibendo & hepati; nobilem gressum præbendo pulsui, qui per morbum vix micabat.

* Bonnes. Chaudes.

OBSERV. XVIII. Icterum assuetæ omni medelæ, tùm & mineralibus multis aquis pertinacissimè resistentem, victrices depulere *aquæ Bareges* *.

* Bareges D. Meighan ubi sup.

THESIS LI. Lienis atque hepatis læsionem declarant morbi enarrati *. Læsionem vix sensibilem, à functionis vel motuum ejus aliquali turbâ, in viscere aliundè sano, *probè suum officium non faciente sine tumore ullo* (*a*), læsio illa haud difficulter plerumque curanda; porrò viscerum eorumdem nimis immedicabiles morbos loco suo collocare animus est (*b*): Obs. 17. hepatis actio in ventriculum, aut ipsius cura apprimè patet, tum & Obs. eâdem, 14 atque 16 ventriculi consensus cum hepate & liene.

* Ab obs. 14.

(*a*) Galen. locor. affect. cap. 7. lib. 5.

(*b*) §. IV.

OBSERV. XIX. Vir 40 annos natus, temperamento aridus, acer, nervosum omne genus perpetuò agitatus, hæmorrhoidibus, rarò tamen fluentibus, obnoxius evasit, vertigine indesinenter torquebatur, corpus fermè integrum dolebat, veluti verberibus aut fuste cæsum, inconditè digestione in ventriculo fungebatur, somno parùm indulgebat, perpetuò loquax; diversa remedia, imprimis quæ apud Monspelienses oblata fuerant, morbum mitigandi causâ, vires penitùs prostraverant, in pejus ruebant sævia symptomata; hæc potu & balneis *aquarum tepidarum Bareges* *, non quidem anno primo, sed secundo fracta desiere, perturbatione summâ in corpore toto excitatâ, non absque manante sudore, & adaucto valde urinarum fluxu.

* Bareges 1751.

OBSERV. XX. Biliosum quemdam vivido colico dolore, capitis atque renum doloribus summoperè laborantem, sanavere *potus* & *balnea aq. Bannieres font. de Salut.* & *du Pré* *, eumque hæmorrhoidibus identidem fluentibus obnoxium fecerunt.

* Bannieres.

OBSERV. XXI. Mulier quadragenaria, menstruorum fluxu silente, œdematiâ universali laboravit; cibum omnem fastidibat, *aquas Cauterès font. Laraliere* * bibit, infirmâque à valetudine sublevata fuit, hæmorrhoidum fluxu curationem nuntiante.

* Cauterès.

OBSERV. XXII. Helluoni toroso, quinquagenario, hæmorrhoidum fluxu affecto, certò prosunt *aquæ Chaudes* *; ipsis enim epotis illicò hæmor-

* Chaudes 1750.

rhoidum fluxus recrudeſcit, quem ventriculus ciborum abundantiæ pertæſus remoratur, aquis excitandus, donec infligat vulnus immedicabile perſida gula.

Observ. XXIII. Potus & balnea *aquarum Bannieres font. Laſerre* hæmorrhoides quæ à biennio ceſſaverant, in juvene admodum ſanguinolento, reſtaurarunt; ſic litteratum, mordaci viſcerum calore laborantem, ſanaverunt *aquæ Bannieres font. Salut.* *. * Bannieres teſtis ub. ſup.

Observ. XXIV. Vir nobilis quem licentioſior vita multùm emaciaverat, cibos faſtidivit omnimodè, vividis poſteà tentatus hæmorrhoidibus cæcis aut ſiccis. Hinc febre evidenter laborantem & veluti deſperatum, (incaſsùm enim adhibita fuerant remedia quælibet), curavere *aquæ calidæ Bareges* cum lacte permixtæ *(a)*. Sic Auguſtiſſimam Bernardi II. Bigerrorum Comitis uxorem, incubo laborantem à ſuppreſſis hæmorrhoidibus, *aquarum Bonnes potu* intra dies 15. ſanatam fuiſſe traditum eſt. Incubus autem quid præter diaphragmatis & viſcerum abdominalium diſſidium * ?

(a) Meighan ubi ſup.

* Bareges, Bonnes.

Observ. XXV. Hæmorrhoidalis affectus cum copioſâ valdè ſanguinis effuſione, & lienteriâ comite, virum 36. annos natum, melancholicum, omnimodè debilitarunt, corpore emaciato, deſperante animâ, ſalutis ipſammet ideam ferè reſpuente: *potu aquarum calid. Bareges*, ad cænam ſolummodò exhibitarum, poſteà *balneis temperatis* intra 30. dies convaluit. Sic melancholico viro, hæmorrhoidali, ſanguinem vomenti, *potu aquæ Bonnes*, & ſanguinis miſſionibus opitulatus ſum *.

* Bonnes, Bareges.

Thesis LII. Minerales olim noſtrates aquas *naturæ perpetuò auſcultantes* prædicavi (*a*); metaphoricus ille ſermo ſectam hîc redoleret. Hæmorrhoidalium effectuum, plus quàm ſingulari in genus noſtrum agentium normâ commotus *colend. Pater*, aquis ſuis parùm confiſus eſt in affectibus illis. Stahlii ſchola miranda obſervavit circà hæmorrhoides (*b*), aſt *naturæ* ſuæ nimiùm tribuens, pauca definivit. Hæmorrhoidum affectibus ſua etiam inſunt tempora, gradus; vel enim reſolutione vincendus morbus ille, ut in Obſ. 23. & 24; vel mutato in conſuetudinem morbo, favendum excretioni ſanguineæ partium affectarum, ut in Obſ. 21. 22; vel ſi excretio ſanguinis ſponte & errore viſcerum nimia ſit, in excretione hâc ſiſtendâ allaborandum, ut in Obſ. 25. Hæmorrhagiæ cuilibet hæc propria, veluti in hæmorrhagiâ narium, in quâ excretionem *ſalutarem* à ſymptomaticâ diſtinguere rectè non adhuc datum eſt; an diſtinctio illa poſſibilis? Quæro clinicum in iis non titubantem. Neque proferam hæc à temperamenti, ætatis, diſpoſitione, idioſyncraſiâ, pendere: ipſa enim generaliora nimis, nil præcisè docent. Quæro num adſint ſigna quibus conſtet, hæmorrhagiam *excretoriam* fore vel criticam, aut ſolummodò evacuantem ſymptomaticam? Hæmorrhoidali affectu ventriculus perpetuò conflictari videtur, ita ut morbum hunc ad *ſtomachicos ventrales* * referre non arduum.

(a) Lettr. contenant des eſſais, de quib. ſup.

(b) Albert. de Hæmorrhoid.

* Theſ. 49.

Observ. XXVI. Puella quindecim annorum, nondum apparentibus menſtruis, à tribus menſibus virium proſtratione ſummâ appetitûs & læſione, roſeum vultûs colorem jam valdè mutantibus, & marcore urgente, afficiebatur. *Aquas Chaudes* * hauſit, circa diem 8. exiliente menſtruâ excretione, paulò poſt gratâ veletudine floruit.

* Chaudes.

Observ. XXVII. Virgo 26. annorum nata, omnimodè ſana, ex auroræ nictu perfundi amans rore matutino, perque madida prata juſto liberiori pede curſitans, menſtruam excretionem amiſit, hinc debilitate, inappetentiâ, ventriculi labore, atque moroſitate obſeſſa, remediis quæ ex

usu sunt incassum adhibitis ; ad *aquas Bannieres* confugit, eorumque potu ; & dein balneis in *fonte Laserre* *, convaluit, denuò apparentibus menstruis, circa 20. diem.

* Bannieres 1750.

OBSERV. XXVIII. Hæmorrhagiæ uteri in corpore gracili alioquin sano, profuit *potus aquarum calid. Bareges* * cum lacte permixtarum, namque ex aquis lacte non obtusis æstus nimius, febris fortior quàm par erat.

* Bareges 1750.

OBSERV. XXIX. Morbus idem in corpore debiliori, *aquarum Bannieres* usu, eò aggravatus fuit ut cum morte ultimùm luctata fuerit misella mulier, quam velut omninò desperatam ad *fontem Cauterès* detulerunt, ubi *aquarum Laraliere* * potu, ab ineunte die 3. hæmorrhagia multò minor, vita major, virium postea & sanitatis redintegratio, spatio circiter 20. dierum.

* Cauterès 1750.

OBSERV. XXX. Mulierem viribus valentem, post partum quartum, aggressa est uteri hæmorrhagia identidem ingravescens; tumebat uterus tumore haud skirroso ; *potus & balnea aquarum Bonnes* * morbum composuere. Pari modo convaluit olim ut traditum est Augustissima Rogeri V. *Foxensis* Comitis conjux. Sic *menstruorum impotentiam & immoderata effluvia nostratibus curamus aquis :* quod de aquis *Bonnes* prolatum est *(a)*, de cæteris existimandum observavi & testor, cum exceptionibus alibi (*b*) proferendis.

* Bonnes.

(*a*) Ubi sup.

(*b*) §. V.

THESIS LIII. Uteri furentis facinora quis Medicorum inexpertus? Viscus *morborum seminarium & radix* (*a*), *provinciâ* longè lateque patenti commendabile ; quiescit non explicatum in junioribus, flaccidumque jacet in senectute, inutile pondus; mediâ ætate indesinenter *loquitur* (*b*) ; *Monarchiâ singulari potitur*, *leges præscribit*, *pollet & quodam brutali intellectu*, *unde furit fremitque. Partes stringit*, *strangulat*, *non aliàs quàm furore in illas concitatus* (*c*). Morbum perpetuum in sesquiori sexu fovet ; merè passivas igitur qui functiones ejus habent à sanguinis plethorâ, quæ fieri fortè possent, finxere, non quæ de facto sunt; sensatione enim peculiari animatur uterus * ; & plethoræ solius enarratio in praxi manca ; unde *medicina mechanica hic*, *ut non rarò*, *spe dejicitur* (*d*); *mensium enim eruptionem orgasmus quidam præcedit*, *& multa symptomata*, *quæ perturbationem à motu naturæ aut conatu in ciendis mensibus significant* (*e*).

(*a*) Hippoc. de loc. in homin.

(*b*) Ex Helmontio proprietas pestis.

(*c*) Idem. Ignota actio regiminis: vid. etiam Aretæus de diutur. affect. lib. cap. 4.

(*d*) Journal des Sçavans Août ann. 1753.

(*e*) Ballon. Histo. 4. lib. 2. consil.

THESIS LIV. Uterus autem ordinatè progrediens, crisim juvenilis cujuslibet morbi in sexu operatur ; dum maturus est, dies à 20. ad 30. circiter in circulo suo impendit, periodo ad febris cujusdam periodum accedente, excretionum ferè omnium criticarum imaginem rectè prodit ; eorum cardo quæ sunt disquirenda circa excretiones aut crises *. Ast in morbis vel adhuc nil *locutus est* uterus, ut in Obs. 26, vel ab opere evocatus ut in Obs. 27, vel devictus non resistit hæmorrhagiæ, cui quandoque favet, ut in Obs. 28, 29 ; structurâ ipsius aliunde immutatâ ; adest enim peculiaris mutationum harum historia (*a*). Quæ hîc perpendimus ad stomachum magis aut minùs spectant, quod oblivioni numquam tribuendum, vel enim unicâ hac ratione menstrualia phænomena ad febres *stomachicas* in uterum directas reducuntur, sequentibus utique comparanda. Hinc fit *ut eæ mulieres quibus menses supprimuntur*, *de dolore* (*quem vocant*) *stomachi queruntur*, *dicantque habere se manifestum ponderis ibi incumbentis sensum* (*b*).

(*a*) §. IV.

(*b*) Ballon. Epid. lib. 1.

OBSERV. XXXI. Multos, ex hypocondriacorum calamitosâ familiâ, vidi vitam fastidiosè degentes curis intertextam, omni terrorum genere, animi cruciatu, subtilissimos corporis sui à capite ad calcem argutiarum pensatores, dolentibus aliundè magis aut minùs omnibus membris, hîc dorsali

regnante dolore, aut capitis vertigine, flatuum copiâ undequaque prosiliente, illîc tremoribus agitato corpore, cum marcore, faciei funeratæ imagine, respirationis læsione, intestinorum præsertim dissensione, quam comitabantur vividus calor perpetuò mutabilis, abdominis totius tumefactio aut complanatio irregulares, *ligneus in epigastrio sensus* (*a*), indesinens super omnia garrulitas, quâ transeuntes ipsos obsidebant, & ut accidit, Medicum quemlibet lacessebant; horum, inquam, aliqui sanari visi sunt *potu* & *balneis aquarum Chaudes* *, quæ multis levamento fuere: sedulò annotavi eos qui aquarum vi æstu multo agitarentur, radicitùs curari, si perseverarent.

(*a*) Cælius Aurelianus stomachica passio.

* Chaudes 1750.

Observ. XXXII. Quadragenarius, studio litterarum malè dispensato, labore improbo, melancholiâ tentatus est; eum vitæ, hominumque consortii tædebat, perpetua profundaque solitudo recreabat animum ab omni functione vitæ ferè alienum; hunc ad sanitatem revocarunt *aquæ Bannieres font. Salut* *.

* Bannieres testis ubi supr.

Observ. XXXIII. Nobilis mulier 43. annos nata, post partum, perpetuò nauseâ laborans, cum ventriculi acore, vulnusculorumque, velut spinarum puncturâ, sensatione, *aquis Bannieres font. du Pré* sanitatem integram recuperavit *.

* Bannieres id. ibid.

Observ. XXXIV. Virginem 25. annorum natam, constrictionibus circa scrobiculum cordis, vacuo stomacho, oscitationibusque frequentissimis obnoxiam, cum intestinorum pugnâ, mugitu, flatuumve in ipsis fremitu molestissimo, ut pote qui ab adstantibus facillimè audiretur, sanavit *potus aquarum Bonnes* *.

* Bonnes 1750.

Observ. XXXV. Vir studiosus valdè, biliosus, viscerum abdominalium convulsionibus dirè sæpeque divexatus, *aquas calidas Bareges* * hausit; febre laboravit 3 die ad 7, ac tandem ex *aquarum* earumdem usu, albuminosis gelatinosisque materiebus ano & ore depositis, intestinorum non leves dolores passus, sanatus visus est.

* Bareges 1750.

Observ. XXXVI. E duabus mulieribus, una vividiori ingenii acie prædita, diris convulsionibus in infimo ventre totiusque corporis subsultibus, per hebdomadas integras, vividè magis aut minùs recurrentibus, cum suffocationis metu cruciabatur, sæpeque vomebat; altera ferè cum iisdem symptomatis, debiliori pollebat temperamento, utraque non malè menstruata, artis auxilia exhausit, exhibita fuerant *edulcorantia*, *dulcia*, apozemata, lacque largâ dosi. Accercitus, lac deserendum censui, atque adaugendam aquarum * dosim in utraque; unde calor valde adauctus non sine febre, quam solvebant sudores copiosi, post *balnea tepida* famis sensatio olim ferè deperdita rediit, cum viribus & hilaritate; prior per tres menses omni convulsione fuit insons, altera meliùs adhuc se habuit.

* Cauterêts 1750.

Observ. XXXVII. Chlorosis cujuslibet generis tam in nuptis quàm in virginibus, magis aut minùs complicata, cum vel absque effluvio menstruorum, aut eorum fluxu nimio, rubro aut albescente, & millenis aliis symptomatis, inter quæ ventriculi depravatio viscerumque inquies primum obtinent locum, *ventriculus enim laxus & dissolutus esse videtur in fœdis coloribus* (*a*), hæc omnia quotidie nostris aquis *, curantur, quocirca frequentissimæ colligi queunt observationes.

(*a*) Ballon. Consil. 7. lib. 3. annot. 2.

* 1750.

Thesis LV. Atqui morbi hi omnes *, aliis ** genere propinqui. Viscerum hîc peccat series, communitas, potissimus nocens stomachus, ut in Obs. 33, 34, 37; accedunt animi pathemata, penetrabile venenum, infortunium multorum præprimis ex litteratis, qui mente vagan-

* Ab obs. 30. ad 37.

** Ab obs. 1. ad 30.

tes corpusculum deserunt, nec ipsamet alimenta digerentes, aëra vix respirantes, imò respirare indocti, hominum doctiores, vix diaphragmatis ope intestina compescunt, unde hæc tot meditantur effrænata. Virginum chorus ab utero non rarò cruciatur, *corpus enim fit utero simile (a); chloroses* etiam *splenicum quid habent, incommodaque in iis splen persentiscit (b): sed & ventriculus, & lien, & renes (c), laxum intestinum* (sive colon), *in causâ sunt (d).* Uterus in nuptis etiam patitur, vesana clamat; nec desunt, utero insonte, chloroses etiam in nuptis; febrim dixere amatoriam, *& nescio quid habentem ut eam non possis nominare (e)* à symptomatis. Abdominalis febris erit, inter chronicum & acutum morbum media, tempora sua percurrens, spontè non rarò soluta, remediorum inconcinno usu cum noxâ ingravescens, dum ad tertium pervenit statum facilè, absque viscerum labe, excretionibus artis eradicanda, in secundo minùs, in primo cum metu ne in pejorem morbum mutetur, dirigenda. Febris igitur hæc sapientissimo Medico dicanda, ut rectè ad excretionem ducatur, quod haud semper facile, potissimùm iis qui operosè nimis nil agunt, si non nocent; *hic methodicos maximè oportet esse (f).* Porrò minerales aquæ sæpe juvant, dum cautè adhibentur.

(a) Galen. comm. Aphor. 62. sect. 5.
(b) Ballon. de morb. virgin,
(c) Hippoc. de morb. virgin.
(d) Aretæus de diutur. affect. cap. 15. lib. 1.
(e) Ballon. loco citat.
(f) Ballon. de virgin. & mulier. morb.

THESIS LVI. Chloroses verò, non secùs ac morbi cæteri abdominales hypocondriaci dicti, dum altis defiguntur radicibus ab habitu organis contracto, ut in Obs. 31, 36, &c. morbum chronicum in acutum mutari posse, & debere ut citò curetur, demonstrant *. Spasmum febre solvi; febrem peculiarem aut partis, in febrem universalem aut totius corporis mutari * observationibus iisdem confirmatur. Num ex iis concludere licet *edulcorantium* copiam, quâ multi nimis hypocondriacos omnes morbos tractant, non omninò ipsis prodesse, saltem in quolibet morbi statu; morbum castrant, mutant, sopiunt, deformant *, hunc verò non solvunt neque terminant. Seminarium morborum cum morbo unico, more proprio in corpore progrediente, commutant, omine sæpe infausto. Cur igitur medicamenta, ut vocant, *activa* adeò formidantur? Iniquis aut timidis oculis perpetuò cur aspiciuntur symptomata sæpe blandè ferocia, quæ maturius vitæ robur prænuntiant, morbi commotionem excretoriam *, excretionem cumulatè præparatam? Morbum perfectè curabis in corpore jam evidentem, *citiùs tutiùsque* quàm fieri potest, hunc per tempora sua ducendo, præsertim à maturatione ad excretionem, dum ista possibilis *: *jucunditas* inferiora jura potitur apud Medicum morborum virilem debellatorem. Morbum fovere nimis possunt medicamenta quibus imminuuntur vires; *debili enim evadente corpore quandoque morbus invalescit (a).* Calefacientia vires augent, ipsaque prætereà de facto ignem corporis minùs accendere quandoquè possunt quàm refrigerantia, tot laudibus elata. *Medicina sensuum inter puerorum nugas non ultima tenet (b).* Dulcedine id palato sapit, inquiunt, ergo pectori, renibus, stomachó *dulce*: conclusio læva si non absurda. Temperare, resolvere est; resolutio ipsamet febrile phænomenum (c). Sic respectivè ad corpus vivens, *maximè contraria non sunt maximè contraria (d).* Porrò ne quid nimis, gladium furentibus haud præbendum: sunt qui perpetuò ægrorum corpora comburunt. Extra modum ullum prodire sapiens solus nesciet.

* Juxta Thes. 44.
* Juxta 44. & 50.
Juxta Thes. 47.
* Thes. 46.
* Thes. 44.
(a) Hipp. de diæt. in acut. lib. 4.
(b) Colend. Pater ubi sup.
(c) §. III. IV.
(d) Hipp. de loc. in hom,

THESIS LVII. Morbi abdominales, quos prosequimur, solvuntur plerumquè hæmorrhoidum, menstruorum, aut sudoris excretione *, vel albuminosæ materiei in intestinis sæpe nidulantis (a); morbi igitur illi veri sunt labores excretorii, quos vividè promovere quandoque licet. Attende

* Ut in obs. 36. &
(a) Vid. §. III. Th.

ad pictorum colicos dolores dictos; hos, duce experientiâ valentioribus oppugnant purgantibus, oleosisque & *demulcentium* usu in pejus perpetuò ruere contendunt aliqui; alii è contra ad temperantia, venæ sectiones, oleosa (*b*) recurrunt, fortiora purgantia vel damnant, vel non adhibent. Litem hanc sedula dirimit observatio: non inexpertus loquar: cum ordine dies, tempora, horas percurrit morbus hic; initio oleosis temperari valet, neque semper recrudescit, sed non solvitur *; hæc tamen pro temperantibus pugnant; ars enim morbos quosdam veluti *retrò agendo* sanat *. Pictorum hæc *abdominalis* febris solvitur purgantibus validissimis, modò in fine statûs secundi, & meliùs in tertio adhibeantur; in primo castrant quandoque modo suo morbum, velut oleosa quæ etiam modo suo abdominis vires impediunt, sæpiùs incassum propinantur; quoniam expectatio quorumdam dierum necessaria, aut utilis, aut saltem non nociva. Purga, si volueris, morbus hic circà 4. 6. &c. diem ferocior, posteà non rarò vividior ad 9. 12. & ultrà progredietur, excretionesque suas habebit. Oleosa circà secundum & tertium statum nociva, quia excretionem impediunt; purgantia nociva minùs, in ipso etiam morbi principio. Hæc tamen non empiricè, non occultis omninò oculis sunt adhibenda; neque etiam ignorandum, inter eos qui morbo illo tentantur, quosdam sanari etiam si loca non adeant in quibus purgantibus, ut aiunt, unica fides est. Præterea recidivas etiam haud paucas habet morbus ille, dum validioribus evacuantibus oppugnatur; sunt ergò circa eum adhuc multa & plura quàm vulgò putant perpendenda: imprimis determinandum quænam signa purgationem imò validissimam, laudanum, expectationem, vesicantia, sudorifera, aut venæ sectionem ipsammet certò indicent, quæ verò non; hujusmodi signa dari & nosci posse rectè observantibus, habeo ut autumem, ut asseverem non habeo. Ast morbus ille multorum quæ fiunt in hypocondriacis fortis imago: prolata confirmat *, & potest ut cæteri abdominales vel ad nervosos morbos vel ad humorales revocari *, juxta peculiare genium ad quod in curatione attendendum. De abdominalibus iis jam satis, ipsos vera morborum aliorum effingere semina * demonstrandum.

(*b*) v. g. Frid. Hoffmann.

* Thes. 56.

* Thes. 47.

* Thes. 56.

* Thes. 46.

* Juxta Thes. 42.

OBSERV. XXXVIII. Virum biliosi temperamenti, à biennio singultu laborantem, tam diro ut sæpe sæpiusque respiratione & loquelâ impediretur, sanavit *potus aquarum Bannieres font. du Pré* * diu protractus.

* Bannieres test. ubi sup.

OBSERV. XXXIX. Perfectâ sanitate gaudere virgini, chlorosi atque singultu laboranti, *potu aq. Chaudes* quæ menstrua restituerunt, datum est *.

* Chaudes.

THESIS LVIII. singultus quandoque ad æsophagum aut ventriculum pertinens, tuncque visceris hujus morbus *, diaphragmatis semper subsultus est, ab ipsius irritatione viscerumque. Num irritatio hæc, compressio, molesta partium posito determinari rectiùs veleret? Singultum cum Medico alio aliquando oppugnabam, remediorum omne genus inutile prorsus, omnia quæ experientia, ratiocinia, librorum lectio docebant tentata fuere; nulla ferè neglecta, operam perdidimus. Post dies quindecim & ampliùs, validissima hypocondriorum epigastrii, & dorsi mantilis ope strictura adhibita est, hoc auxilio illicò singultus cessit. Unde & ex quibusdam aliis observationibus quæ facilè colligi queunt, num putandum Medicinam *mechanicam*, quæ scilicet ligaturis, puncturis, compressionibus, topicis curat, à recentioribus quibusdam nimis negligi? Ex ratiocinii fallentis impetu num inconsideratè dictum est (*a*), *topica admovere quid est aliud quàm nugas agere?* Topicorum virium & usûs doctrinam ferè omninò incognitam fateri rectiùs fortè deceret.

* Obs. 1. ad 8.

(*a*) Freind. Comment. Hip.

OBSERV. XL. Puellæ feliciter opitulatæ sunt *aquæ Bonnes* *; ipsius tremebat diaphragma, vividè succutiebatur epigastrica omnis regio, introrsùm trahebantur spuriæ costæ, anhelitus ingens ambulatione.

* Bonnes.

OBSERV. XLI. Inter morbos Obs. 37, quibus epigastrii convulsiones, respirandi difficultas sæpissimè conjunguntur, notandus præcipuè morbus in virgine, quæ tam dirâ respirationis difficultate tenebatur, ut ne quidem vestigium movere potis esset, absque suffocationis metu; si verò inter ascendendum allaboraret, hanc pallido vultu cum sudore viribusque penitùs prostratis procumbentem, exanimem dixisses: epotis *aquis Chaudes* *, sanitatem integram recuperavit.

* Chaudes 1750.

THESIS LIX. En intestina inter & diaphragma pugnæ phænomena *, *sæpe fiunt circa septum transversum vehementes dolores* (a). Post venæ sectionem è brachio, instantibus menstruis, in athleticâ puellâ vidi paucis horis abdomen omninò collapsum, ita ut musculi spinam attingerent & micaret aorta in umbilico, diaphragma interim versùs superiores costas, strangulatis corde & pulmone, vehebatur, unde apoplexia 3. die lethalis. Morbos distinguit aliquandò Hippocrates (b), vel quatenus à septo transverso versùs caput sedem habent, vel à septo inferiores versùs partes: haud negligenda divisio. Ast multi morbi infra diaphragma reapsè sedem habent, qui suprà judicantur, quod in acutis pulmonum sæpissimè obtinet. Num ergò apprimè distinguere quondam dabitur an, cur, quando diaphragma magis aut minùs in pectoris cavum pellatur, & quomodo ad curvaturam naturalem reducatur? Emetica diaphragma complanant, num exindè tam sæpe prosunt?

* Thes. 42.
(a) Hipp. de veteri Medicin. cap. 12.
(b) Aphor. 18. sect. 4.

OBSERV. LII. Virgini 28. annos natæ consuetam cordis palpitationem curaverunt *pot. & balnea Bannieres font. Laserre* (a). Multi eorum, de quibus sermo Obs. 31, 37, cordis palpitatione laborabant, imprimis virgo cui deerant catamenia, cujusque corpus ferè universum agitabatur cordis nisu vividissimo, portentoso, imò *quodammodo cor fatuum videbatur, quod sæpe accidit in fœdis coloribus* (b); hanc sanavit excretione menstruali *aquarum Chaudes* potus *.

(a) Testis ubi sup.
(b) Ballon. consil. 7, lib. 3.
* Chaudes 1750.

THESIS LX. Palpitationum hoc genus, abdominalis procellæ affectus, ad abdominales morbos huc-usque prolatos omninò pertinere evidentissimum; neque Clinicos fugit *ventriculum cordi maximè consentire* (a). Utinam pulsûs theoria, super iis & paribus observationibus stabilita, quondam in lucem prodeat! Porrò cor abdominalium mutationum suo modo particeps; præterquàm quòd enim pulsûs plures accidunt tempore digestionis variationes, cor ipsum in multis, motu sæpè irregulari afficitur, præsertim dum ægrè digerit stomachus (b). Quoniam verò intestinales vires motum cordis mutant mirabili modo, hinc jure concludendum, in quolibet corporis organo, quolibet puncto, pro cujusque viribus, eadem accidere posse *. Partium scilicet, motus, vires, oscillationes à ventriculi mutationibus aliquatenùs pendent, ita ut sanitas ejus ipsis proficua, morbusque pari passu nocivus habenda sint,

(a) Ballon. annot. in cons. 109. lib. 1.
(b) Quæst. Medic. An omnes corporis partes &c. vid Thes. 9.
* Thes. 42.

OBSERV. XLIII. Muliercula temperamenti flegmatici, pectoris æstum ægrè ferens, assumptis aquis *Bannieres font. du Pré* alvum multoties exoneravit, sanataque fuit. Multi de quibus in Obs. 31, 37, pectoris æstus, respirandi difficultates, leviaque velut asthmata experti sunt; horum omnium morborum aquæ nostrates ferè ultima & certa salus *.

* Baréges. Bannieres, &c.

OBSERV. XLIV. Quidam dolore pectoris hujus & *stricturâ* indesinenter

ter affectus, aliunde biliosus, siccus, acer *aquarum Cauterès potu font. Laraliere*, gravante pondere omninò allevatus, stomacho primò excitato valde, ita ut appetitus languidus aliàs ex aquarum usu valde urgeret *.

* Cauterès 1751.

Thesis LXI. Ægri verò frequentissimè pectus accusant, dùm reapsè dolent stomachus aut alia viscera abdominis in diaphragmatis cavum acta *. Utinam Medici meditari non desinant, *jecur cum liene ac ventriculo, relictâ propriâ sede, cedente septo transverso, intra pectoris spatium ascendere, pulmone cum corde sursum, collum versus, in angustias acto* (*a*)! Hinc in illis pectoris angustiis, enemata non rarò prosunt, evocato ad inferiora intestino colo, modò contentis turgeat intestinum illud, secus enim enemata nocere possunt (*b*). Sic in iisdem ægritudinibus accidit aliquandò ægros vel uno latere, vel toto corpore versùs superiora premi, veluti attollerentur aut quasi *volarent*, ut aiunt, unde Medicos gaudio gestire vidi, dum admoniti animadvertebant multa quæ sunt in intestinorum tractu, in pectore putari, etiam in acutissimis morbis, quod uti quorumdam ratiocinia disturbat, ita observationibus omnimodè consentaneum, quibus v. g. constat emetica & purgantia in acutis sæpe prodesse.

* Thes. 59.

(*a*) Skenkius Obs. de peritoneo.

(*b*) Vid. §. V.

Observ. XLV. Pro catarrhis, *rheumatibus* vulgò, specificâ fermè virtute pollent *aquæ Bonnes*. Catarrhum ad excretionem aut maturitatem brevì conducunt, exacerbatâ febriculâ, sputa expedita faciunt *.

* Bonnes 1750.

Observ. XLVI. Viri mulierisque sanitati consuluere *aquæ Bannieres font. du Prieur*, diù epotæ *. Utrumque multis ab annis lacessebat *Catarrhus calidus*; an pituitosa colluvies in pectore?

* Bannieres testis ubi sup.

Observ. XLVII. Mulier ab ultimo partu tussi laborabat, cum pectoris oppressione validâ, urentisque doloris in tracheâ sensu; vix prætereà functioni vacabat stomachus; lactis usu œdematia aliqualis accidit in toto corpore, nocturnique sudores; in illo morbi statu, tertio scilicet, *aquarum Bonnes* * *potus*, abundantem promovens expectorationem, symptomata omnia fugavit, intra 15 dierum spatium.

* Bonnes 1751.

Observ. XLVIII. Ab Illust. Archiatr. Comite D. Fagon, fama est *aquas Bareges* primò potu adhibitas fuisse in asthmate; exindè asthmatis radicitùs curati historias servant (*a*). En quæ annotavi *, 1°. asthmaticos quatuor quorum duo senes, alii juniores, quibus expectoratio copiosa, *potu aquæ calid. Bareges*, levamento fuit; 2°. binos quibus aquæ primò nocivæ, dein nihil peculiare excitantes; 3°. senem fluxu hæmorrhoidali aliàs tentatum, posteà asthmate omninò oppressum, cui expectoratio abundans valdè profuit; 4°. Nobilem biliosum qui à duodecim annis, æstivo tempore, quotannis asthmate laborabat, morbo circà autumnum desinente, absque excretione, *aquâ calid. Bareges* epotâ, nulla eminuit in pectore commotio, asthma hâc æstate nullum; 5°. virginem convulsionibus validis, in pectore, diaphragmate, corde, agitatam cui proderant *aquæ Cauterès*, quæ verò ex *Bareges* dimissa fuit, metu suffocationis, quam potus aquæ fovebat (*b*).

(*a*) D. Meighan. ubi sup.

* Bareges 1750. 1751.

(*b*) Vid. §. 3. Obs. 114. ad quam hæc, omninò spectant.

Observ. XLIX. Nobilis mulier post partum raucam habuit vocem, catamenia defecerunt ad tempus, pectusque ita gravatum evasit, ut ne quidem ambulare absque suffocationis metu posset ægra; incassùm advocatis auxiliis vulgaribus, pectus expedivere menstruaque accersivere epotæ *aquæ Bonnes* *.

* Bonnes 1751.

Observ. L. Tussim validam per intervalla recurrentem cum respirandi difficultate, quam sepè comitabatur materiei pituitosæ vomitus, omninò curavit *potus aquarum Cauterès, font. Laraliere* *.

* Cauterès

D

THESIS LXII. Tussis, respirandi difficultas, asthmatici quidam insultus, totidem pectoralis febris * phænomena, symptomata, tempora, excretione per sputa non rarò curantur; imò quidquid agant in catarrho vel leviori, excretio sæpè morbum solvet, neque omnem implent curationem lenientia; in visceribus abdominis præterea excitantur mutationes, remissiones, quæ ab ægrotis ipsis, sedulò attendenti, denuntiantur, & quæ excretioni maximè favent. Tusses stomachales, ut erat tussis in Obs. 49. sæpissimè, pueros præsertim, infestare notissimum, adultos plus quàm verisimillimum; *in validis enim tussibus, præsertim cum inanes sunt. dolorem audivimus tantum in ventriculo natum, ut necessariò opitulandum ventriculo ipso fuerit* (a). Imò *asthmatici periodici causa fuit prægrandis duodeni expansio* (b) &c.

* Thes. 43.

(a) Ballon. Histor 1. lib. 2. Consil.

(b) Bassius. Obs. Medic. Chirurg.

OBSERV. LI. Orbata penitùs voce & loquelâ languebat mœstissima virgo; fatalis hic affectus ex febre putridâ oriundus cæteris aliundè sanis functionibus, quarum multas lubenter cum loquelâ mutasset virgo, à mense integro muta, quod facetis indiciis exprimebat, corporis sui periodos in scænam revocans; nil in cavitate oris, nec in collo contra naturam apparebat, *potu aquæ Bannieres font. la Reine*, gargarismate *font. Salies* *, circa 7. & 8. diem, submissâ voce multa volens dicere, quædam fortè proferebat; tandem eâdem medelâ, canorâ voce ad libitum vociferata est per vias ipsas lætè clamitans, detrimentumque à morbo illatum abundè resarciens. Sic alia curata fuit *potu aquæ Bannieres font. du Pré* (a).

* Bannieres 1750.

(a) Testis sup. citat.

OBSERV. LII. Mulieri marasmo confectæ, cujus vox penitùs extinguebatur, *potus & balnea temperat. Bareges* *, salubre præstitere auxilium. Sic ex Obs. 31. 37. multi aphoniâ, raucedine, præsertimque strangulationibus, fauciumque fugitivis tumoribus tenebantur, omnesque curabantur, curato morbo præcipuo.

* Bareges 1751.

THESIS LXIII. Hinc laryngis atque pharyngis morbi, de quibus agitur, ad symptomaticos omnimodè reducendi; symptomata autem sæpè erunt ex uteri aut ex aliorum viscerum morbis, quod notum satis, licet vocis & loquelæ theoria adhuc non cognita penitùs, non secùs ac multa quæ in collo accidunt à visceribus. Certò saltem novimus *in multis qui vocem vitiosam habent lustranda esse hippocondria* (a). Porrò in collo coeunt membranæ viscerum abdominis, pectoris, capitis atque cutis exterioris, immiscentur nexu mirabili, unde hic multorum terminatio, quod non apertè satis omnibus notum est. Aphoniam autem Obs. 5. ut *stomachi pondus* habuere quidam Medici (b). Sic à morbis acutis convalescentes reperies quorum vocem fames præcludit cum morsu pungente in epigastrio, & in visceribus; an exinde vocis mutatio sæpè ferè subita in pubertate? Linguam verò viscerum mutationes sedulò demonstrare Clinicis notum est, quod ex membranarum communicationibus forsan explicabis, harum enim ope ab œsophago & ventriculo oscillationes sæpe ascendere observationi consentaneum; hinc *quibus è forti stangulatu stercus de repente per alvum secedit lathale est* (c); in hujusmodi enim morbo epigastricam regionem subitò collabentem vidi, ita ut cum strangulatâ parte evidentissimè regio illa consentiret.

(a) Ballon annot. in consil. 2. lib. 7.

(b) Testis ibid.

(c) Hipp. prædict. cap. 14.

OBSERV. LIII. Oris fetorem abominandum, in juvene temperamenti biliosi, arcuit *potus aquæ Bannieres font. du Pré*; non secùs ac in alio consuetum oris amarorem *.

* Bannieres testis ubi sup.

OBSERV. LIV. Virginis gingivas summoperè tumidas, osque pituitâ obrutum, sanavit *potus aquarum Chaudes* *, quæ sæpè dentium doloribus opitulantur, insultusque eorum arcent, corroborando stomachum, ex quo non ra-

* Chaudes 1750.

rò progenitos insultus illos periodicos auguramur, uteri salvo jure, quo sanè in iis potitur; ipsæmet enim mulierculæ docent, vel gestatione in utero, vel ex morbis ejus, gingivas inquinari magis aut minùs, dentesque infestari carie. Oppugnabam aliquandò topicorum quæ ex arte sunt ope, gingivarum colluviem ferè serosam, accessit callidus veterator, qui purgante pharmaco & *aquarum Chaudes* usu pro potu ordinario, quatuor dierum curriculo, os integrum expurgavit, *fumos stomachi* accusans; undè edoctus sæpe cum successu, posteà feci periculum. Diurna illa praxeos documenta, observatiunculæ eæ prosunt ex parvis componere majora non nescientibus. *Quibus de naribus pauca destillant iis conducit vomitus & alvi perturbatio*, inquit Hippocrates (*a*); ergo destillationes illæ narium, oris, atque gutturis, à stomacho procedunt, & ab intestinali fistulâ. O mulieres, dentifriciis ut parcatis, idcircò parcite coquis! Quæ in gingivas operatur deficiens stomachus non curatis; quæ adversus viscera nobiliora clam meditatur, fovetis. Mulierem vidi quæ ex *acoris* sensu spinam versùs, ad regionem scrobiculi cordis, scilicet in fine œsophagi, sibi dolores dentium prænuntiabat; nec desunt in gingivis ipsis sæpè notanda phænomena, quæ latus affectum in visceribus, indicare possunt.

(*a*) Coac. præ, cap. 12.

OBSERV. LV. Immanis hemicrania quæ in initio identidem sæviebat, posteà quotidiana facta, serotinis horis certò recrudescens, Clericum, siccum & biliosum, annos 33. natum, cruciabat acerrimè, millena incassum adhibita fuerant medicamenta, tandem *potu* & *balneis aquarum Chaudes* *, per 30. dies adhibitis, pertinacis morbi abhinc anno immunis perstat honestissimus vir.

* Chaudes 1750.

OBSERV. LVI. Hemicraniâ, quam semper præcedebat alvi omnimoda constipatio, mulier laboravit, licet menstruata, *aquæ Bannieres font. Salut.* interdiu epotæ, & ex *font. la Reine* matutinis horis, alvum solverunt hemicraniamque discusserunt *.

* Bannieres 1751.

THESIS LXIV. Hemicraniam à ventriculo sæpissimè oriundam nemini non notum: clamant morbo illo affecti diarrhæâ, vomitu, ipsos omnimodè curari, febrili insultu evidentissimè non raro excretionem concomitante; atqui probatu impossibile putamus *, *viscidas* aut *pungentes*, in duodeno atque stomacho collectas materies, præcisè materiei *spissæ* aut *acris*, per venas lacteas, in sanguinem emittere quantitatem, quæ vel per diei spatium circiter, vel per dies quatuor, aut septem, capitis membranas pungat & obstruat. Irritationi ventriculi, aut gastricorum nervorum surculis quibus membrana pituiataria ditatur, vel membranarum ipsarummet succussionibus potius hemicrania num tribuenda? Unde insultus hemicraniæ erit à ventriculo affecto ipsomet, hincque glutinosâ vel biliosâ materie gravato, febris, infausta capiti, ex ventriculi parte læsâ, capitis nervulis respondente, cum aliunde peculiare quiddam in naribus existere possit (*a*). Erit igitur cautè, quandoque adhibenda sententia hæc licet Hippocratica *ubi dolor, ubi sudor, ibi morbus*; hoc qui perpetuò, & in sensu omni verum putaret, errorem vix vitabit; *ubi morbus est, non utique dolor, ubi verò dolor, non utique morbus; dolor enim sæpe in parte aliâ excitatur, quam ubi causa primaria sit* (*b*). Medicinæ dogmaticæ axioma; *ad causam enim* (ut Hippocrates Hippocratem reficiat) *ad causam ipsam, ad causæ occasionem, ad primordia deveniendum* (*c*).

* Thes. 42.

(*a*) Vid. §. 3. &c.

(*b*) Ballon. Epist. lib. 2.

(*c*) Hippoc. de Morb. vulgar. sect. 7. lib. 2.

THESIS LXV. Præterea annotare magni interest hemicraniam aut insultus ejus, velut in omni aliâ invaletudine, nil nisi exacerbationes morbi

chronici, qui modo suo graditur in corpore, & quem non absque labore mutes, vel si mutes non absque periculo illud semper exequaris; periodos enim habet suas, tempora sua morbus, cujus hemicrania phænomenon. Morbus hic ad ætatum vicissitudines non rarò pertinet; hemicrania acutus est morbus chronico insitus; hinc hæmorrhoïdibus obnoxiis, non menstruatis mulieribus, abdominalium viscerum mutationibus sollicitatis, tot scilicet reapsè perpetuò ægrotantibus, lentoque morbo affectis hemicrania propria est; hinc vel spontè mutatur in alium morbum vel alteri succedit, unde varius licet & indeterminatus statim appareat, ad classes tamen
* Thes. 43. alibi expositas * reducitur; hincque explicatu non difficile cur *in capitis*
(a) Bonnet. Sepulcret & multos alios vid. Planque, Diction. *dolore cystis bilis, bile distensa valde fuerit* (*a*) *&c*; hinc *clavi*, seu dolores velut à clavo incuneato, *cephalalgiæ*, tinnitus aurium, vertigines, & cæteri morbi hujus familiæ.

Observ. LVII. Virgo statis menstruis, cum febrili æstu quem subsecutus est sævus capitis dolor ad latus dextrum, luctata est: vulgata remedia malum aliquatenùs sublevare videbantur; sed paulò mox iterùm & immaniùs
* Cauterès 1751. sæviebat; *aquæ Cauterès* * epotæ brevì exhilarantem famem accersivere, transpirationem elicuere, somnum conciliarunt, bene se gessit uterus; unde caput restitui sibi aiebat virgo, seque restitui sanitati.

Observ. LVIII. Hippocondriaco, vertigine abrepto, Puellæque affectu
* Chaudes 1750. eodem tentatæ, subvenerunt *aquæ Chaudes epotæ* *; uterque perturbatione aquarum orbatus somno, uterque desidiosa gerebat abdominis viscera, quibus aquæ calcar addidere.

Observ. LIX. Auditûs gravitas, surditatis species quædam, non rarò curantur injectis epotisque *aquis Chaudes* & aliis. Aurium morbis sanandis *aquas Bannieres font. S. Roch* virtute specificâ pollere tradidit Antiquitas.
* Bareges. Bannieres 1750. 1751. Virginem surditate à biennio obrutam, sanatam vidi *aquis Bareges* *, hujusce morbi excretionem absolverunt menstrua.

Observ. LX. Hemicraniâ diu fuit afflicta mulier 35. annos nata, non malè menstruata, invitis remediis, aut eorum forsan proditione, dolor caput integrum occupavit, periodicè sæviebat dolor hic atrocissimus.
* Bareges 1751. *Balnea temperata & potus aq. calidæ Bareges* *, circa 15. diem, purulentam expulere materiam, cujus excretionis criticæ ope morbus eradicatus est.

Observ. LXI. Mulieri ophtalmiâ, menstruorum perversione, æstuque febrili irregulariter laboranti, cum stomachi anxietate ferè indesinenti, haud felici successu applicata fuerunt vesicatoria, incassum adhibita sudorifera, lacticinia, mercurialia & antiscorbutica; eam *potus* & *balnea Cauterès font.*
* Cauterès. *Laraliere* *, intra 18. vel 20. dies, à febre & ophtalmiâ immunem fecerunt, prostratumque appetitum suscitarunt.

Observ. LXII. Vir annorum ætatis suæ 34. calido & sicco pollens temperamento, viscerum æstu, oculorumque rubore tentatus, in *aquis Ban-*
* Bannieres testis sup. citas. *nieres font. Salut.* salutem invenit *.

Thesis LXVI. Quis leget hæc, quæ potissimùm à quolibet Medico visa vel videnda, nullo ferè negotio putamus, quin abdominalium viscerum vires, mutationes, ipsarum & affectus agnoscat. Habenda scilicet capitis pectorisque massa veluti diaphragmati, ut basi innitens; basis verò cum ex se mobilis, motuque æquali gaudeat, placido, vel diversimodè interrup-
* Thes. 40. to intestinorum conaminibus variis *; hinc basis ejusdem mutationes generales aut peculiares imprimi debent vel referri ad caput, ad pectus; membranæ, inquam, multiplici modo & irritari & distrahi vel laxari debent, quod Thesi 40. favet.

THESIS LXVII. *Dolores qui ad infernas partes delabuntur toleratu faciles* dixit Hippocrates (*a*); inversa propositio verior; nempe morbi ad supernas partes tendentes toleratu difficiles; quod ut in acutis, sic & in chronicis experientiâ confirmatur. Morbi enim hi supernarum partium, licet primo intuitu partem unicam attingere videantur, oculum, os, guttur, non rarò tamen evenit massam omnem cellularem *, à diaphragmate ad superiora viscera cuncta, magis aut minùs inquinari, molestè astringi, comprimi; hinc fluunt ad pectus rheumata, erysipelata faciei sæpe excreatione solvuntur; hinc anginæ in peripneumoniam mutantur; quod si *derepentè fiat malum* (*b*), tunc enim fractâ basi, corruit omninò ipsi annexa massa, collapsus accidit læthalis *, *delitescentia* partium, quæ paulatim resolvi debuissent, ut excretio critica perfecta fieret.

(*a*) Porrhetic. lib. 1.

* Thes. 66.

(*b*) Hippoc. Aphor. 10. S. 5.

* Thes. 63.

THESIS LXVIII. Neque dicam, nec putabo, excretionis materiem semper à loco in locum fluere in iis translationibus *; explicationes enim illæ, maturationesque; gradatim, velut à crustâ in crustam, à lamellâ in lamellam, fiunt donec ad morbi nucleum perventum sit (*a*). *Gravida mulier frequenter glaciem comedens incidit in intensissimam tussim, & ventriculi dolorem, & primam coctionem ægerrimè conficiebat; restituta fuit in sanitatem, huncque ordinem servavit; primò à tussi liberata est, deinde à ventriculi dolore, denique à virtutis concoctricis imbecillitate* (*b*). En morbum triplicem, tussis, ventriculi dolor, virtutis concoctricis imbecillitas, qui ex ordine solvebantur; pectus enim primò, stomacho remotius, sublevabatur, dein ventriculi dolor à virtutis concoctricis læsione procedens. Nostra non referam quæ forsan suspecta haberent. Ast progressus eos in morbis plurimis observabunt ii, quorum oculos non perstringunt phænomena morborum. Sic in acutis ex apice ipso expurgari & rutilare sæpe incipit lingua, quod fortè quædam prædicit quæ non accidunt, dum per partes in superficie expoliatur lingua, aut denuò exsiccatur ejus apex primò evolutus. Sic in erysipelate & variolis, facies primò exsiccatur, postea collum, pectus & inferiora; sic excreatio purulentæ materiei è pectore, narium humiditate aliquando denuntiatur; sic in acutis, oculi vultusque præcordiorum phænomena & mutationes, præsertim faustas primò, intelligenti demonstrant; sic mortem ipsam quandoque à superioribus, à fronte, ab oculis, incipere diceres, dum scilicet pars superna vultûs omninò prostrata jacet, inferna verò rubore & calore viget, quod quibusdam morbis capitis proprium est. Hinc ab extremis massæ hujus diaphragmati innitentis *, ad basim usque progrediuntur sæpe mutationes, gradatim, quocumque modo demum id fiat. Huc etiam revocare poteris practicam haud levem observationem (*c*), quâ constat partem primariò afflictam in corpore, scilicet in principio morbi, in ipsius fine sæpe afficiendam fore; quod utique non rarò verum est. Hæc omnia theoricæ vulgari, ut puto, dilucidanda desunt.

* Thes. 67.

(*a*) Vid. §. III. de resolutione.

(*b*) Brassavolus. Comment. ad Aphor. Hipp. Aphor. 24. S. 5.

* Thesis 66.

(*c*) Mercurialis.

THESIS LXIX. Extremarum partium corporis, aut circumferentiæ ejus morbos nunc sympathicos symptomaticosve attingimus. Hi verò ad peculiarem classem attinent omnes, vel ad morbum qui *rheumatisans*, *articularis*, aut *extremitatum* corporis *febris*, dici potest *. Porrò febrem hanc, morbum hunc vagum & indeterminatum haud immeritò appellares, cujus forma & progressus depingi facilè nequeunt; de organo cellulari alibi (*a*) prolata revocare hîc expedit, & intueri organum illud, corticem corporis verum, qui *in omnem sensum pervius, juxta oscillationum varias directiones, metastasibus sæpe præbet vias, præprimis aquoso latici, seu transpirationi, ita ut*

* Thes. 43.

(*a*) Quæst. An omnes corp. part. digest. opitul. vid. Thes. 9.

à parte in partem præsto sit via; corticis etiam hujus partes aut regiones cavitatibus corporis & visceribus respondent membranarum catenis, musculosque visceribus & cuti jungunt, viscerumque *provincias* determinant; exinde forsan febris *rheumatisantis* tempora & leges dilucidabuntur, eritque morbus ille cæteris * æquiparandus.

* Thes. 43.

Observ. LXIII. Melancholici viscera, dum digestio fieret, summè succutiebantur, non secus ac crura, pedes & manus, has sæpè sæpiùsque dolore atque tumore infestas vidisses. Ubique corporis in partibus musculosis succussiones, quales videre est in animali nuper mactato, tactu distinguebamus. Incassum adhibitis remediis quibuslibet ad *balnea temperata Bareges* & *aquæ potum* confugit æger, & brevì sanari visus est *.

* Bareges 1751.

Observ. LXIV. Præ dolore post corporis validissimum nisum oborto, in parte mediâ clunis sinistræ, qui per digestionem augebatur, ita ut ad ventriculum tendens alimenta non raro ejicerentur, juvenis siccus biliosus bibit *aquas calid. Bareges* *, balneisque temperatis necnon stillicidio (vulgò *douches*) *calido* usus est. His primò recruduit dolor, novusque in aure ejusdem lateris obortus est, dein suppuratio in aure ipsamet, posteaque fluxus hæmorrhoidalis, unde sanatus æger videbatur.

* Bareges 1751.

Observ. LXV. Vir qui præter ventriculi dolorem, aut sodam, rheumatismo tentabatur in brachiis, quem infestum magis faciebat aëris temperies diversa, usu *aquæ Bareges font. calid. balneorum*que *temperat. convaluit* *.

* Bareges 1751.

Thesis LXX. Hinc facilè concluditur ventriculum, in morbis qui dolorem cient, magis aut minùs disturbari, cujus sympathiæ modus observationibus constat; quoniam enim *alvi laxitas cutis densitatem* (*a*) producit, & vice versâ, hinc transpirationem à cute ad ventrem ferri & vice versâ est in confesso. Aliunde quoniam visi sunt qui si *inediam tolerassent dum lavarentur, exolvebantur*, velut alter *nisi priùs panis aliquid sumpsisset, quia sensum plurimum habebat os ventriculi* (*b*); hinc reciprocum ventriculi & corporis circumferentiæ conamen suadetur, ita ut duplici potissimùm modo cutis agat in ventrem, venter in cutem; oscillationum scilicet irradiatione, rorisque aquosi emissione ex centripetarum & centrifugarum virium effectu *; vires autem illæ, oscillationes, rheumatismum ponere possunt, cui ventriculus modo suo concurrat necessarium est.

(*a*) Hippoc. Aphor.

(*c*) Galen. Comment. Aphor. 41. sect. 2.

* Thesis 12.

Thesis LXXI. Non desunt observata quæ magis adhuc rem demonstrent. Flatubus obnoxios quosdam videbis, qui fremitum à pede proficiscentem sentiunt & ad ventriculum progredientem, unde flatûs explosio seu ructus; sic qui doloribus, aiunt, *vagis* laborant, membra dolore obsita contremiscere sentiunt, eâ proportione quâ intestina moventur, vel dum tussis urget; viscera demum labefactata labem communicant, ruborem, frigus, convulsionem, œdematiam partibus oppositis, vel quæ ad eorum *provinciam* pertinent. Hæc omnia explicabis comparatione eorum quæ accidunt v. g. in osse carie inquinato, partes enim cariei huic directè oppositæ magis aut minùs tument, dolent, flaccescunt à textûs cellularis mutatâ vi; sic viscera malè disposita rheumatismis occasionem præbent.

Observ. LXVI. Mulier à partu mense uno, sudore madens, lentamque febriculam gerens, aquâ frigidâ fortè crura perfundebat; hinc brevì rheumatismo totius corporis vividissimo, præsertim circa regionem lumbarem, cum suffocatione quâdam & febre obruta; hanc intra 15. dies sanitati restituerunt *aquæ* & *balnea Cauterès font. Laraliere* *, excitato ventriculi appetitu & catameniis.

* Cauterès 1750.

Observ. LXVII. Rusticum, à binis mensibus rheumatismo cum lateris dextri torpore infestatum, curavere *balnea Cauterès font. du Bois* *, priùs elicito sudore multo. [* Cauterès 1751.] Alium rheumatismo etiam ad anteriora pectoris, & ad regionem epigastricam infestatum curavit stillicidium *Cauterès font. du Bois*, in parte ipsâ affectâ.

Observ. LXVIII. Mulier quinquagenaria, à menstruorum suppressione, doloribus vividissimis in scapulâ, cubito, & carpo lateris sinistri sæpe divexabatur; hos absolvebant diarrheæ biliosæ; *balnea Cauterès font. du Bois*, *potus font. Laralicre* *, copiosissimum elicuere sudorem, & tempestate sequenti, iisdem adhibitis cum pari successu, & iisdem phænomenis, planè convaluit ægra. [* Cauterès 1752.]

Observ. LXIX. Vir militaris robustus admodùm, in Bohemiâ vividam contraxit ischiadem, cum virium prostratione, & obesitatis detrimento; ferè continuò sæviebat dolor, qui à supernâ clunis dextræ parte ad ejusdem lateris genu humoribus redundans, extendebatur; ipsius sanitati haud consuluere remedia quæ vulgò adhibentur; *potu Cauterès font. Laraliere*, *balneisque du Petit-Bain* *, elicito sudore copioso, sanitas denuò refulsit. [* Cauterès 1752.]

Observ. LXX. Biliosum virum annorum ætatis suæ 43. rheumatismo in brachio laborantem, *balnea Bannieres font. Dumoret Casaux*; alium ischiade tentatum *balnea du Roc de l'Ane*, aliumque eodem morbo multis abhinc annis ægrotantem, curâverunt *balnea Bannieres font. Darqué* *. [* Bannieres testis ubi sup.]

Thesis LXXII. Febris ergò rheumatisans excretionis tempora habet, perturbationemque criticam, aut commotionem excretoriam, sudor nunc abundè manat ut in Obs. 59. hìc catamenia, & aliæ evacuationes, verosimiliter ex naturâ & usu organi affecti. Excretiora autem commotio, nempe febris tertia alibi enarrata *, ab aquis sæpe excitata (*a*), sisti hic nequit, quoniam sanitatis occasio erit. [* Thes. 25. (*a*) §. V.] Hinc meritò concludes febrim hanc rheumatisantem, sponte ad morbos alibi descriptos * reduci. [* Thes. 43.]

Observ. LXXI. Acutæ magis adsunt rheumatisantes febres, quæ cautissimè curandæ. Monachus, post febrem putridam marasmo fuit confectus, ubi primùm viribus valuit, doluerunt cum tumore membra & articulationes; febre lentâ corripiebatur æger, *aqua Bareges epota* *, diarrheam accersivere à 4. ad 7. diem; [* Bareges 1752.] balnea temperata quæ adhibere non licuit, præ summâ debilitate, nisi circa 20. diem, dolores paululum discussere, ast vere denuò recruduerunt; eâdemque perstante medelâ, per triennium, æger vegetam obtinuit sanitatem. Excretorius enim *fluxus lentus* erat *. [* Thes. 45. 47.]

Observ. LXXII. Mulier 28. annos nata, debili satis temperamento prædita, diu post partum rheumatismo in pectoris parte anteriore, colli parte posteriore, capite & scapulis, quæ tumebant, cum erysipelate laboravit. Perstabat febris, hanc validiorem fecerunt *aqua Bonnes epota* *, sputa multa purulenta eruerunt, [* Bonnes 1752.] copiosissimæ per nares excretioni occasionem præbuere, unde ægra maximè sublevata fuit.

Thesis LXXIII. Febrim hanc rheumatisantem acutam non rarò circa præcordia sedem præcipuam habere observatione docemur; in pectore præsertim nucleus hic cubat excreatione ultimò evacuandus; ita ut in omni rheumatismo supernarum partium, ad pulmones maximè attendere oporteat; imò nisi exinde excretio critica oriatur, in fine rheumatisantis febris, quæ sæpissimè vividis symptomatibus in ultimo tempore suo notabilis, recidivam timere didici quam patiuntur aliquando ipsimet sputatores, quoniam morbus idiopathicus brevì fit, & insultus habet juxta tempestatis mutatio-

nes, ventriculique vires, atque animi pathemata. Neque tamen hæc nimis generaliter assumantur; quæ accidere sæpe vidi profero; rheumatismum enim, invito remediorum omni genere, modo sat determinato progredi in corpore vel observavi vel observare putavi; sic in partium infimarum doloribus viscera abdominis sæpiùs attingi putem, quàm pectoris viscera, ita ut præcipuus semper morbus, hujus fomes, inter pectus & abdomen juxta regionem stomachi quærendus, ut in morbis aliis omnibus; quæ enim in superficie corporis accidunt, nuclei ejus vel centri phænomena, id est morbi symptomata, non morbus præcipuus; quod explicato modo accidit *.

* Thes. 66. 68.

Thesis LXXIV. Nutritionis verò labor vel succi nutritii à solidis elaboratio, applicatio, cum ferietur in omnibus ferè morbis, in rheumatismo & aliis; hinc juxta proposita alibi *, succi hujus nutritii quantitas in sanguine retinetur, è minimis vasculis constrictis expellitur; cum aliundè transpirationis copia etiam retineatur, miscela fit ex succo nutritio & transpirationis rore, vi scilicet solidorum. Miscela hæc morbi effectus, excretionum materies erit, quæ juxta organorum vires per aliud aut alterum expelletur. Morbi lentor excretioni futuræ nocivus excitandus erit, furor ejus compescendus, unde methodus generalis proponi nullo modo potest. Antiquorum hinc assertio, qui *Naturam semper sequebantur*, manca, levis, superstitionis & imperitiæ filia; Neotericorum, qui se non otiosos esse crisium spectatores, sed naturæ rectores jactitant, fiducia, nec in arte nova, neque minùs dubia, periculosa, vel inconsiderata; ex alibi prolatis *, immoderata hæc componi posse videntur. Utut sit in morbis omnibus & præcipuè hucusque perpensis, symptomaticis, *attentâ observatione compertum habemus, motum vitalem à partibus interioribus ad exteriores, constrictione minimorum vasculorum & fibrillarum spasticâ, valdè intercipi ac inverso planè cursu à circumferentiâ ad centrum urgeri, & deinde rursus cum impetu à penetralibus ad ambitum, acceleratâ sistole & diastole, agi (a).* Quod etiam in sanitate obtinet *.

* Thes. 30.

* Thes. 22.

(a) Hoffm. Medic. rational. tom. 3. sect. 1. cap. 6. compar. omnin. cum Baglivi Stahlii oper. & Thes. An omn. corp. part. digest. opit. Thes. 9.

* Thes. 12.

III.

ANTIQUIUS illud methodicæ sectæ apophtegma (*strictum* & *laxum*), quod non delebant famigeratæ à Galeno facultates, & humorum qualitates, nec percussit multò post fulminans Chimicorum impetus, nec theoria legibus circulationis innixa, rursùs eminet apud Recentiores quosdam non infimæ notæ; fœcundum procul dubiò principium modò rectiùs constabiliatur; ex eo nuncupari & distingui amavit Stahliana sapiens familia, observatione præsertim edocta; nec puderet ullum solidarum partium in humoristas vindicem, originis ductæ à Themisone; hujus effatum, quidquid ad pathologiam pertinet satis complectitur; Carthesii diceres postulatum, quod materiam motumque solùm requirebat; demùm *strictum* & *laxum* facem plerumque præbent Medicis omnibus in decursu morborum (*a*).

* Vid. §. v.

Thesis LXXV. Vix autem morbus adest, in quo solum strictum solumve laxum reperiatur; sæpiùs unà vigent in omni morbo; partes antagonistas obsident, adversatione indesinenti inter se pugnantia, nec unquam tantâ cum læsione, quam dum inter sese intertexta organi ejusdem fibrillas sibi partiuntur; tunc enim fit in parte lucta periculosissima, ni brevì evanescat. Si facili negotio strictum aut laxum à partibus naturâ vel arte dimoveatur repatque in organa connexa, *sympathicos* morbos componit, de quibus in §. 2. actum est; si partium quas primariò, vel secundariò obsidet tonum, naturam, constitutionem, vim mutet, ita ut affectio diu satis remaneat, *idiopathicos*

pathicos ponunt morbos, de quibus nunc agendum, quique ita cum ſympathicis ſæpè complicati videntur, ut nequeat afferri inter eos diviſionis punctum. A majoribus ad minora devenientes, primò quid laxum aut ſtrictum in venis majoribus operentur perpendendum.

Observ. LXXIII. Viri bilioſi femur cruciabatur rheumatiſmo, cui finem impoſuit totius tibiæ ejuſdem lateris, ſcilicet dextri, tumor ingens varicoſis præſertim venarum dilatationibus penè infinitis aſpectabilis; *ſtillicidium calid. Bareges, balnea temperata, potus aquarum* * parti, intrà biennium, feliciter ſatis conſuluere; remanſit tibiæ craſſities aliqualis innoxia. * Bareges 1750.

Observ. LXXIV. Mulier cui nuper deerat catameniorum fluxus, rheumatico dolore in inguine ſiniſtro correpta fuit; dolorem ſolvebant tumores varicoſi in crure & tibiâ ejuſdem lateris, unde greſſus omnimodè præpediebatur; *aquis Bareges* *, ut in Obſ. præcedenti curata morbi immunis evaſit ægra. * Bareges.

Thesis LXXVI. Venarum illud laxum à fractâ vi textûs cellularis venas ipſas proximè fulcientis præcipuè oriundum, arguit ſtrictum viſcera afficiens; unde ſtagnatio ſanguinis, in vaſis debilitatis (*a*). Hæc autem actionis venarum læſio, feraciſſimus morborum fons, Practicis dicitur *fluxus varicoſus* (*b*), *orgaſmuſque varicoſus* rectiùs nuncuparetur; hunc nec miaſma fovet neque virus, ſed prava organorum diſpoſitio. Fluxus ille ſeu motus fluxum excitans, nonnunquàm venarum genus externum ferit; extant enim non pauci quorum venæ omnes exteriores à viſcerum motibus ſubitò adaugentur & audactæ remanent; ſic turgent in mulieribus multis, inſtante menſtruâ purgatione, corporis venæ quælibet, remanentque dilatatæ nimis in iis quarum uterus vel operi non indulget vel ultimò feriatur; tuncque non rarò in pectore aut in abdominis viſceribus, lento greſſu progrediuntur ægritudines funeſtæ. Sæpè in parte peculiari venæ exteriores dilatantur, quod cruribus familiariſſimum, præſertim in adultis *. * Theſ. 80.

(*a*) Vid. inf. Theſ. 80.

(*b*) Heiſt. compend. Medic. practic. vid. etiam Stahl. Theor. Med.

Thesis LXXVII. Hæmorrhoidalium venarum affectus * ad varicoſos fluxus omnimodè pertinent, & à ſtricturâ in hepate aut in venâ portarum oriuntur. Nervis gaſtricis ſubjicitur vena hæc, quæ ideò non accuſanda ſicut à Stahlio factum eſt; alieno enim nutu facinora perpetratur inſons, quod utique notare expedit, ne plethoræ ſimplici venæ hujus nimis tribuatur, perpetuòque habeatur ſanguinis evacuatio ex eâ fiens, excretoria, critica; ita ut adversùs Stahlianos eadem fermè pugnent circa venam portarum quæ Freindii opinionem de menſtruali purgatione infirmant *. * Theſ. 52. * Theſ. 55.

Observ. LXXV. Cuidam bilioſo hæmorrhoidalis affectus ſæpe ingraveſcens ſummam intulit noxam, in anni margine quem varia tubercula, plus minùſve dura circumdabant; ægro vires ciborumque appetentiam & parti afflictæ naturalem ſtatum reddiderunt *balnea temperata, potus & ſtillicidium calidum Bareges* *. * Bareges 1751.

Observ. LXXVI. Mulieris, quæ ſæpè partum enixa erat venter varicibus refertus, tantoperè tumebat & dolebat ut adeſſet inflammationis metus, *aquarum Bonnes & Chaudes balnea & potus* * varicibus conſuluere, venterque detumuit. * Bonnes. Chaudes.

Observ. LXXVII. Vaſa ſpermatica haud pauca, poſt conatus validos, flagitioſaſque libidines varicoſa vel per paroxiſmos ſummè dilatabilia, ſanavere *aqua Chaudes* *, inter alios, in melancholico quem morbo infeſtaverat mœror. * Chaudes 1750.

Observ. LXXVIII. Mulier obeſa, cachectica, ætate annorum 40. men-

ſtruis orbata fuit, tum vagina demiſſa ad orificium externum in circulum prominebat abſque dolore, *potus aquarum Bannieres font. du Pré*, *ſemicupia & ſtillicidia font. S. Roch* * vaginæ tonum reſtituerunt, intra 20. circiter dies.

* Bannieres 1751.

Observ. LXXIX. Seni ſtranguriâ, quam ſubſequebatur mictus ſanguinolentus, & ani varicibus tentato ſubveniebant *balnea temperata Bareges*, *potus aquarum* cum lacte *.

* Bareges.

Thesis LXXVIII. Morbos eos omnes, ex fluxuum varicoſorum familiâ oriundos, revocaſſe ſat erit Clinicis; etenim tot iſtius modi obſervari poſſunt morbi qui affectuum abdominis criticos aut ſymptomaticos ita luculenter ſe præbent, ut ſuper eorum cauſâ primariâ nullus ſuperſit dubitandi locus. Hæc aliundè à graviſſimis authoribus non prætervisa fuerunt (*a*).

(a) Vid. præprimis Alberti de hæmorrhoid. &c.

Observ. LXXX. Nunc de morbis loco diverſis cauſâ ſimilibus. Periodica narium hæmorrhagia, quolibet menſe præciſè ante & poſt menſtrua, virginem laceſſebat; affectum illum curavere *aquarum Bannieres font. Salut. potus & baln.* paremque ferè affectum *aquæ Bonnes*, in virgine ſanguinem ſpuente, eodem ordine *.

* Bannieres. Bonnes.

Observ. LXXXI. Juvenem toroſum valde, libidinibus deditum corripuere capitis dolores acerbiſſimi, necnon frequens è naribus ſanguinis ſtillicidium; concretionibus veluti poliposis impleta narium cavitas, quarum eruendarum gratiâ venit *Bareges*; imminuebantur capitis dolores nariumque concretiones *aquarum* uſu *.

* Bareges 1751.

Observ. LXXXII. Juvenis bilioſus hæmopthyſi, vix febre apparente, obnoxius, mulierque eodem morbo afflicta, menſtruis retentis, admodùm ſublevabantur *potu aquarum Bonnes* *.

* Bonnes 1751.

Thesis LXXIX. Uteri *provincia* ex Obſ. 74. demonſtratur; fluxus ii ab utero ſtricto manabant. Hæmopthyſis Obſ. 80. violento niſui in gravi pondere elevando debebatur; ſe in *epigaſtrii* interioribus dolore affectam fuiſſe, ſtridioremque ingentem ibi ſenſiſſe aiebat ægra; ſic ab utero fluxus varicoſus in pulmones ruit; ſic virginem videre contigit in quâ ex ulcere pedis menſtrua manabant; pes ſummè varicoſus fiebat, inſtante periodicâ evacuatione; en, ut per tranſennam notentur, phænomena Freindii theoriæ omninò oppoſita. *Juveni ſanguinem ſpuenti pulſus in hippocondriis, & ab iis ſanguis* (aut convulſio ſanguinem ducens) *decurrens ad partes ſuperiores percipiebatur, ac ſi manu duceretur, horrorque excitabatur, prout partes ſuperiores patebat* (*a*).

(a) Ballon. Epid. lib. 1.

Thesis LXXX. Vaſa in morbis illis ſtricta venoſa potiùs videntur quàm arterioſa; cum enim venæ in omni fluxu varicoſo ad exteriora vergente afficiantur, cur in interioribus phænomena eadem acidere non poſſent? Refluxus illos in venis poſſibiles eſſe morborum phænomena probant; ſanguine reverà non rarò turgent jugulares venæ dum præcordia ſtringuntur, tum & in agone mortis, moveturque in ipſis quandoque cruor à trunco ad ramos propulſus; venæ haud valvuloſæ nil habent quo reſiſtere poſſint refluxui; huic * favere videntur venarum pulmonalium poſitio, ſtructura, valvularumque venoſarum in corde diſpoſitio. Accedunt anaſtomoſes, v. g. venæ renalis cum venâ azygos, venæ cavæ cum venâ portarum in hepate & in vaſis hypogaſtricis, tum & anaſtomoſes ſinuum ſpinæ venoſorum, quæ omnia poſſibiles ſuadent in pluribus venis ſanguinis refluxus; ideoque rectè diſtinguenda, dum fieri poteſt, hæmorrhagia arterioſa à venoſâ. Cæterùm ſunt ætati cuilibet ſat peculiares hæmorrhagiæ, notante Hippocrate (*a*); ſupernæ partes in pueritiâ atque juventute ſanguine ſæpiùs turgent; in ſe-

(b) Et poſt eum Stahlio de morb. ætatum.

nectute aut virili ætate inferiores. Unde colligi possunt atque comprobari organorum sympathiæ morborumque gressus & phænomena. Fluxui varicoso minima etiam subjiciuntur vascula, inter quæ eâdem arteriosa vel venosa fieri posse, juxta vires columnæ sanguinis retrò pellentis, proponimus *. * Thes. 22.

OBSERV. LXXXIII. Fluxum aggrediamur aquosum & pituitosum; intra mæandros textûs cellularis non rarò fit collectio aquæ, muci seu pituitæ vel limphæ. Viro spongioso, annorum ætatis suæ 47. cui œdemate tumebant crura & femora *aquæ Bannieres font. Salut*, & altero ægro *cachectico aquæ font. de l'Ane* sanitatem conciliarunt *. * Bannieres testis ub. sup.

OBSERV. LXXXIV. Multorum ex Obs. 30. vultus, crura, corpusque etiam universum tumebant: inter eos notanda venit mulier cujus femur, præ menstruorum suppressione, paulò post redundavit aquoso latice; hanc sanavit *aquarum Chaudes potus* *. * Chaudes 1751.

OBSERV. LXXXV. Homini sat robusto, post insultus febriles, supervenit œdematia universalis; *balneis Bannieres fontis Theas*, elicito sudore copioso, *potu fontis la Reine*, multùm exoneratâ alvo, pristina sanitas refulsit *. * Bannieres 1750.

THESIS LXXXI. In his affectibus præcipuè dignoscendum, an ortum ducant ex textûs mucosi, vel cellularis deperdito tono in parte, an verò à strictis circa partem ipsammet vasculis, ut accidit in inflammationibus quibusdam? Cum aliunde œdematia certissimè ex corporis pondere, & ex viscerum resistentiâ ferè semper pendeat; non desunt enim vires pellentes aquosos humores trans cava textûs cellularis: vires autem illæ non rarò strictum in visceribus, præsertim circa præcordia erunt; leucophlegmatiæ in virginum morbis cum febre plerumque validâ satis activæ, non secus ac œdematia, quæ febres malignas quandoque concomitatur, ex stricto illo sobolescunt. Faciei porrò & manuum œdematia quæ peripneumoniis, verminosis febribus, certis lochiorum suppressionibus supervenit, tum & œdemata cum inflammatione, simili debentur causæ, ad quam certiùs adhuc referenda sunt metastases aliquot & fluxus œdematosi, qui spuriâ crisi non rarò fiunt, parte subitò ferè tumente, dum reliqua corporis cutis manet stricta ac exsiccata; tunc aquosus omnis latex in textu cellulari contentus, in partem peculiarem oscillationum vi colligitur. Demum omnia ferè œdemata visceris cujusdam affectum denotant, & sæpiùs in illo latere quod occupant. Ast ea Medicis familiaria nimis quàm ut iis enarrandis diutiùs immoremur. Num ex iis lucidior circà primarias hydropis causas theoria haberi posset?

THESIS LXXXII. Aquosi fermè sunt fluxus huc usque enarrati; *in illis partes spongiformes veluti lien, pulmo, mammæ, &c. ebibunt, augescunt & distenduntur humore accedente* (*a*); dum verò mucus uberius advocatur & congeritur, tunc fluxus aderit *mucosus* sive *pituitosus*; *pituitam* dixere Antiquiores: *obscurata diu populo, proferenda in lucem speciosa vocabula, quæ priscis memorata Catonibus* (*b*). Id autem peculiare habet mucosa hæc materies, quod partes quæ ipsius excretionem moliri nesciunt induret & conglutinet, corpus omne cellulare imò & partem integram mutando in substantiam homogeneam veluti *subcartilagineam*, albumen ovi coctum non malè referentem, vel cicatrices (*c*). Augetur pars eo modo conglutinata, aut molem suam servat. Sic post variolas observavi pedem induratum, tumentem, absque dolore; tum & tibiam post venæ sectionem è talo; sic mutantur musculi & partes aliæ sæpe volumine adaucto; fluores illos nil nisi succi nutritii parum mutati collectionem habemus; collectio hæc virium ope fit, quibus etiam in parte retinetur, velut à nutritione deficiente, ut aiunt, *errore loci*.

(*a*) Hipp. de veteri Medicin. cap. 12.

(*b*) Horat. Epist. 2. lib. 2.

(*c*) Vid. infr. Thes. 92.

OBSERV. LXXXVI. Ad fluxus certè pituitosos pertinent articulorum tumores aliqui. Vir 36. annos natus, dolore rheumatico in brachio laboravit; pituitæ redundantia cubiti articulum integrum, motum hujus præpediens occupavit, finemque doloris afferebat; aderant tensio & durities absque dolore, absque œdematiâ; adhibita fuerunt infaustè plurima remedia; *stillicidium calidum Bareges* quod præcessere *balnea temperata* *, tumorem penitùs resolvit, motumque restituit.

* Bareges 1751.

OBSERV. LXXXVII. Alter eodem morbo post ischiadem, laboravit; in humoris abundantiâ fluctuare videbantur tibia & femur: *stillicidium calidum Bareges* *, humorem illum circulationi restituit.

* Bareges 1751.

THESIS LXXXIII. Mucosas seu pituitosas fuisse congestiones illas probat observatio; quoniam in pari morbo, aperto articulo exiliit glutinosa materies albumen ovi referens. En anchylosis principium; coeunte succo illo verè nutritio ossa pedetentim agglutinarentur. Ex disquisitione prædictorum fluxuum facilè fuit multorum morborum theoria. Verùm enim verò, dum ad loca in quibus excretoria prostant vascula fluxus illi diriguntur, tunc aquosæ, pituitosæve aut mixtæ fiunt excretiones symptomaticæ vel criticæ. Hinc oculorum, narium, oris, auriumque tot *fluxiones*, alarum, pedumve sudores pingues, & in interioribus catarrhi, omnia pituitosa; vomitus, diarrhϾ, in asthmaticis pluribus, ex vitiatâ pulmonum actione, perpetua fit colluvies & stagnatio humoris pituitosi; ad genus illud referendi sunt hæmorrhoidum fluxus albi, fluores albi mulierum, &c. His in omnibus nutritius succus aquoso magis aut minùs immixtus, datâ portâ ruit. Neque sponte vel vi suâ peculiari, sed ex eo quòd ad partem læsam, vitiatis oscillationibus dirigatur; dum subitò præpediuntur fluxus illi, tunc dira sæpè oriuntur symptomata; adest igitur in affectibus illis aliqualis ordo, juxta ætatem, temperamentum & præsertim juxta primarium affectum, cujus fluxus illi tum crisis, tum symptoma quodam modo criticum habendi sunt.

OBSERV. LXXXVII. Virum vomitu glutinosæ limphæ quotidie correptum curavere *aquæ Chaudes epotæ*; alter ex catarrhali affectu, seu pituitoso ad fauces fluxu, uberiorique excreatione è faucibus ductæ obnoxius pristinæ sanitati restitutus fuit *aquis Bannieres fontis du Pré*. Mulierem insolitis convulsionibus, cum vividissimis ad stomachi regionem doloribus tentatam, sublevavit *potus aquarum Bareges*; quarum ope materiei albuminosæ magnam per anum egessit copiam; hunc *aquarum* earum effectum sæpe sæpiusque observavi (*a*); enemata præprimis ex *aquâ Bareges* glutinosi succi maximam quantitatem sæpe eliciunt. Curabam *aquis* iisdem diarrhœam per 20. & ampliùs dies glutinosam, aderat quandoque humoris pituitosi vomitus. Ejusdem generis vomitus haud rarus in chlorosi in quâ ex æsophago aut faucibus maxima sæpissimè materiei gelatinosæ copia ejicitur, etiam post pastum, quin alimenta evomantur, nil enim tunc emittit ventriculus; vomitum illum *aquis nostris* sæpe curatum vidimus *.

(*a*) Diar. 1750.

* Bareges 1750.

OBSERV. LXXXIX. Pertinacem ptyalismum *aquæ Bannieres fontis Saliès*, & in altero ægro diabetem *fons la Reine* curavere (*a*). Virum quem illæsis cæteris corporis functionibus sudores crebri debilitabant sanaverunt *potus* & *balnea aquarum Chaudes*. Virginem 14. annos natam, emaciatam, fluore albo necnon diris doloribus in dorso & ad epigastrium valde debilitatam curavere *aquæ Chaudes*, catameniorum fluxu propulso. Mulieri 44. annos natæ, albo fluore admodùm molesto lacessitæ, multùm profuerunt *aquæ Cauterès*. Plures earum de quibus in Obs. 38. fluore albo infestabantur, immunes eva-

(*a*) D. Minviele Medicus Benearn. manuscriptum de aquis nostratibus 70. circiter abhinc annis reliquit laude suâ non frustrandum.

fere. Mulierem temperamento admodùm ficco præditam, quæ à fex menfibus continuo fluore albo abfque menftruatione ullâ, moleftiffimè divexabatur, cum febre, marcore, debilitate & fummâ ventriculi læfione; *Bareges* curavimus, *potu calidarum aquarum & temperatarum femicupio & balneis.* Multùm adaugebatur fluor, primis diebus, ex quo fluoris incremento febrim criticam portendebamus, feu perturbationem excretoriam, quæ reapfè acceffit cum leni fudore; febris illa non diu perftitit; brevì fuerunt reftitutæ ventriculi vires, tandem circà quadragefimum diem catamenia proruperunt & fana evafit ægra. Mulierem fluore albo à biennio laborantem curaverunt *aquæ Bannieres fontis Laferre* *.

* Bareges Bannieres, teftis fupr. citat.

Thesis LXXXIV. Num fluor muliebris pertinax ab ulcufculis oriundus cenferi debet? Etenim excretionem illam pituitofam tum quoad colorem, tum quoad effectus, à pure diftinguere fæpe perdifficile. Aft qui fluxum album mulierum cum gonorrheâ virulentâ confundunt, quo rationum momento id fentiant non videtur; fluor autem muliebris partim aquofus, partim ex fucco nutritio pituitofus videtur; huic fluxui corpus integrum allaborat; quod fuadent dolores, laffitudines fpontaneæ, debilitas, marcor, atque fæpiffimè ventriculi omnimoda perverfio, quibus mulieres morbo illo affectæ conqueruntur. *Fluor ille eft glutinofus à colliquatione partium* (*a*).

(*a*) Ballon. Hift. 2. lib. 2.

Observ. XC. Fluxus pituitofi ex veficâ non raró obfervantur; fenex juventutis delictis incidit in ftranguriam, cujus exacerbationes folvebantur albuminofæ materiei excretione, ægro, moleftiffimam vitam degenti opitulabatur *potus aquarum Bareges, cum balneis temperatis* *. Jamdiu ad ftranguriam difuriamque *aquæ Bannieres fontis Salut.* felici cum eventu adhibentur (*a*); & hodiernâ conftat experientiâ catervam morborum qui veficam & ejus vicinia obfident *aquis noftris* fæpe curari, aut faltem plurimùm imminui.

* Bareges 1751.

(*a*) Minvielle ubi fup.

Thesis LXXXV. In acutis & chronicis non raró accidit fucci mucofi copiam cum urinis criticè fæpe effundi; fuccus fi frequenti lotione expurgetur urinofo latice, albumini ovorum fimilis reperitur tum confiftentiâ, tum concrefcibilitate in igne. Cani ejus copiam præbui, quam voravit animal quafi inftinctu nutrimentum agnofcens. Erat igitur pituita hæc, fuccus nutritius vix mutatus; eum copiofum reperi in illis qui febre laborantes alimentis folidis utebantur, tunc enim etfi ventriculus obeundæ fuæ functione omninò non impar fit, attamen fucci nutritii applicatio, diftributio in textu cellulari vi febris nimis conftricto, impoffibilis; unde in ægrotis illis marcor fummus atque citò progrediens; propterea in eorum fanguine febris tempore extracto, ferè nulla crufta, nulla muci concretio, collectio; hujus enim deeft plethora.

Thesis LXXXVI. Humores in corpore viventi ftagnatione fponte mutari poffe (*a*), atque *infpiffari* uti famigeratiffimum, ita procul omni dubio pofitum eft; aft probabile minùs ex folâ humorum in partibus morâ excretiones fieri vel pituitofas, vel aquofas, aut alterius cujufcumque naturæ. Dato enim quod in cavo veficæ, vel narium, vel pulmonum, &c. vel potiùs in parietum eorum glandulis & vafculis liquida ftagnantia aquâ fuâ expoliari poffint, hæc ne caufa par cenfebitur copiofis & fubitis excretionibus quæ ex partibus illis fieri fæpe obfervantur? Fluit ex veficâ, ano, aut utero, &c. plurium dierum fpatio, mucofa materies, hanc omnem in excretoriis organorum illorum vafis contineri quis putet? Caufa igitur peculiari eliciuntur humores ad partem affectam, neque morâ effinguntur.

(*a*) Vid. § V.

Thesis LXXXVII. Non secus ac organum quodlibet excretorium; veluti parotides, modo suo *erectum* functioni vacat, tumque humores ad organum illud majori quantitate adsciscuntur, ita & pars quælibet fluxui pituitoso apta fit & obnoxia, quocumque modo id accidat. Aptitudo verò illa cui adstipulantur vires totius corporis, nil nisi oscillationum ordo peculiaris in toto corpore; hinc pituitosi fluxus ex ano, vesicâ, utero, pulmonibus, totidem sæpe phænomena morbi, in omnes corporis partes occultè se exerentis; prætereà fluxibus pituitosis obnoxii marcore afficiuntur, atque, non illæsis visceribus, ægrotant indesinenter; *quò magis enim ægri extenuantur, partes replentur muco* (*a*). Sic hepatis vitia chronica cient fluxus pituitosos ex gutture, aut ex hæmorrhoidalibus vasis; sic in illis quorum pulmones tuberculis detinentur, nares sæpissimè fluxu aquoso vel pituitoso inquinantur. Stomachus præsertim in omnibus morbis illis malè se habet ferè semper; sedet enim in interioribus strictum, quo laxum excretorium perpetuò fovetur & augetur.

(*a*) Ballon. Consil. 67. lib. 1.

Thesis LXXXVIII. Quod ad vias fluxuum eorum spectat, merè aquosos trans *mucosum textum* omninò fieri posse, præter plura alia probant laniena, dum aer in omnes ferè mactatorum animalium corporis partes propellitur. Paucis abhinc annis, militem ebrium & altiori somno obrutum, quidam nebulones Monspelienses in crure sauciarunt, follis ope, veluti mactatum animal insuflarunt; intumuit emphysemate stupendo, brevìque expergefactus miles sibimet ipsi, prudenti fortique consilio, vulnera quàm plurima protinùs inflixit cum cultello; unde citò detumuit & sanus posteà evasit. Ut igitur aër trans cellulare organum fertur, sic & multò magis aqua, transpirationis materia, &c. Easdem tranare vias succum nutritium mucosum, pituitosum, non recusabit qui tenuitatem succi hujus perpendet, qualem verbi gratiâ habet, dum pulmones & alia viscera in superficie externâ obducit, post morbos quosdam inflammatorios; febris autem aut morbus peculiaris motus eos dirigit. Super fluxibus illis consulatur *Doctiss. viri Caroli Pisonis Saluberrimæ Facultatis Paris. Magistri* opus Clinicis aureum (*a*).

(*a*) Colluvies serosa. Vide etiam antiquiorum, vel minoris notæ, placita.

Observ. XCI. Dolores diros in lumbis, scapulis, dentibus, &c. subitò sedatos vidi sæpe *balneis aquarum Chaudes, Bareges & Cauterès* * &c. affectus illos ferè semper levant *balnea* & stillicidia, ita ut sæpe sæpius non ampliùs recrudescant. Sic dolorum eorum plurimos observavi, lateris calidi applicatione, aut sacculi calidi ex millio, ex avenâ, &c. citò evanescere.

* Bareges. Chaudes. 1750.

Thesis LXXXIX. Quid sit præcisè dolor adeò obscurum & *indefinitum* videtur, ut nil ignotum magis; sensationem quatenùs ad animam pertinet perpendere nostrum non est; ast quid *materiale* doloris? Valde timendum ne devulsioni, quæ reapse existere potest, seu fibrarum dilacerationi mechanicæ nimis tribuatur; sensibilitas enim fibrarum, earum mobilitati intimè connexa, vitalitatem quodam modo præbet (*a*), & id videtur habere insigne ut, sicut mobilitas, ad certam partem possit fortè dirigi; ita ut vim diceres sensitivam totius corporis ferè congeri in illâ parte; unde dolor esset præceps, inordinata & vividissima sensibilitatis concentratio, aliarum sensationum dispendio fiens. Nec enim unquam sensatio duplex, vivida præsertim, existit eodem temporis instanti, grata igitur sensatio ea erit in quâ congeritur sensibilitas cum certo partium actionis concentu, in dolorem desitura eâ proportione quâ concentus ille pervertetur. Interdum etiam vis

(*a*) Vid. §. v.

ſenſitiva corporis imminuitur, hebeſcit, latitat in abſcondito, & poſteà emicat, periodicoſque motus habet, & inſultus, atque progreſſum, ut in parturientibus, affectibus rheumaticis, podagrâ, colicis doloribus, nephritide, in quibus etiam obſervantur exacerbationes ultimæ dolorem ſolventes; præterea cauſâ doloris præſente, calculo v. g. in renibus extante, dolor non ſemper adeſt, quod nondum explicatum eſt (*b*). Cum autem variorum ſtimulorum nervos diverſimodè afficientium vi & effectu ipſi queant agitari, ſicque grata vel ingrata ſenſatio adducatur, hinc mirum *ſenſibilitatem* *, perpendi, & æſtimari recenter ex ſtimulis ſolummodò mechanicis: adſunt enim partes quæ etſi ſenſibiles, puncturâ nec dolent neque irritantur. Sed quoniam ſuâ ſenſatione gaudent, erunt partibus illis peculiares dolores peculiareſque voluptates, quorum natura, aut *menſura* nunquam rectè diſquiretur ſolâ ſtimulorum mechanicorum ope. Imò cum unâ extremitate ablatâ, crure v. g. amputato, extrema partis amputatæ dolorem non rarò experiri, ſeu experiri videri apud omnes ſit in confeſſo; hinc in medullis cerebri in quibus ſimul adunantur nervi, vel alibi, locus erit peculiaris cujus modificationes dolorem partis amputatæ mentientur. Ex iis quibus amputatio facta fuit, unum inveni qui ante amputationem rheumaticos dolores in pede paſſus fuerat, ſe dolores eoſdem experiri, pede amputato, aſſerebat; arguendum exinde (*c*) in pede v. g. dolorem perſentiri poſſe ipſo intaminato, etiamque dolorem ejus, dum exiſtit, ad alias cauſas alibi inſitas poſſe pertinere. Aſt quemadmodum calore & cucurbitulâ ſæpe dolores ſubitò compeſcuntur, inde colligendum minerales noſtrates mutationem quandam peculiarem inferre parti dolenti, hîc non ultra diſquirendam.

(*b*) Hoffmann ea ventilat nec explicat...

* Theſ. 1.

(*c*) Vid. §. IV. de podagrâ.

OBSERV. XCII. Quartum ſimplicis morbi genus aggrediamur, ſcilicet partium imminutionem, exſiccationem, maraſmum. Mulieri luxatus fuit humerus in ſuperiori articulo, brachium poſteà ematiabatur, contrahebantur ac exſiccabantur tendines, digiti adunci fiebant. *Stillicidium Bareges*, *balnea* aliquot *temperata potuſ*que parti motum priſtinumque ſtatum conciliarunt. Viri melancholici femur ex pertinaci rheumatiſmo contabuit, parti medelam attulere *aquæ Bareges*, more *ſolito* adhibitæ per tres annos. Binas mulieres, quarum unius extrema corporis inferiora maraſmo laborabant, erantque ad clunes collectæ tibiæ, alterius crus dextrum maraſmo afficiebatur, cum tumore lymphatico in ſupernâ femoris parte, curaverunt *ſtillicidium balneaque Bareges* diutiſſimè protracta. Maraſmum in digitis & in ipſis pedibus ac manibus abuſus ſpiritûs vini in curandis luxationibus, ex puncturâ tendinum, atque ex cauſâ internâ, poſt prægreſſos morbos, non rarò ſanatum viderunt *aquis Bonnes* *, aliiſque.

* Bareges. Bonnes 1750. 1751.

THESIS XC. Pravam nervorum affectæ partis diſpoſitionem, ad maraſmum multùm conferre plus quàm probabile eſt, nec dubium quin illi nervi aliquid habeant paralitodei, cum membra ſenſim & ſine ſenſu debilitentur, eorumque moles imminuatur pari gradu; aſt undenam illa virium, & molis immunitio, præſertim dum morbus à cauſâ internâ ſoboleſcit? Huc pertinent eaque circa fluxuum & doloris naturam ſuprà protulimus; dum eorum memoratæ cauſæ peculiarem habent intenſitatis gradum, graviùs & intimiùs in parte læſâ afficietur textus cellularis, qui idcircò nulli par eſt ſuſcipiendo conamini, ex quo tumor vel motus quiſquam criticus poſſit oriri; ſic motui nervorum & arteriarum obſiſtetur, parſque nutritionis incapax erit. Adeſt igitur in maraſmo ſtrictum peculiare, fibras & organa imminuens & exſiccans, ea ratione quâ neque oſcillare poſſunt, neque extendi in tumorem (*a*). Anomalâ quandoque criſi celeriter accidit ſtrictum illud, ſæpius

(*a*) Vid. §. V.

vero lentiori gressu, ex causis internis aut externis, ut vidimus in annotatis partium sex exsiccationibus, ex tendinum puncturâ (*b*); ab extremis digitis exsiccabatur pars, posteà ad membri basim marasmo pergente.

(*b*) Diarium ann. 1751.

THESIS XCI. Partium exsiccatio, dolor, œdematosus pituitosusque fluxus atque varicosus, cum *spasmo* (*a*) magis aut minùs inter se complicata, morbum omnem idiopathicum ponunt, accedente inflammatione & ejus affectibus. Ad hæc morborum genera quidquid de obstructionibus & tumoribus scriptum est referri potest. Obstructionis & tumoris vocabula vaga nimis, definita minùs & determinata videntur. Etenim tumor omnis est varicosus, aut œdematosus, aut callosus, quid igitur vox obstructio sibi vindicabit? Obstructio, à vasorum plethorâ sedulò distinguenda, vasculi tùm solido corpore tùm liquido in solidum mutato obturati ideam præbet; hinc uretheres, ductus choledocus, &c. calculis obstruuntur; ast œdemata, inflammationes, aut fluxum pituitosum ad obstructionem veram aptè nunquam revocabis; num v. g. humoribus, immutatâ solùm eorum figurâ sphericâ, obstructionem effingi posse putabis? Non desunt obstructiones propriè dictæ aliquot in visceribus, ast raro, rarò enim humores nostri *lapidescunt*. Hæc igitur inter familiarissima, vulgò, cur annumerantur, cum sæpè sæpiùs in praxi fallere possint?

(*a*) Vid. §. V.

OBSERV. XCIII. Sequitur ut de præcipuis morborum idiopathicorum agamus eventibus, ab ulceratione initium ducentes. Ulcera proprietate, velut specificâ ab omni ævo sanare habentur *aquæ Bareges & Bonnes*. In nullâ corporis parte ulcera sanata non vidimus, idque in diariis annotavimus (*a*); inveterata sint nec ne, cujuscumque fermè indolis (*b*), ulcera quatenùs insuperabili quâdam causâ internâ non foventur, sæpè curantur *lotione*, *stillicidio*, *balneis & potu aquarum*.

(*a*) 1749. 1750. 1751. 1752.
(*b*) Vid. §. IV.

OBSERV. XCIV. Rusticum à viscerum perturbationibus liberavit varicum plurima eruptio in crure, in eo supervenit ulcus, cui remedia solita non opitulabantur; in dies tumebat crus, fiebatque interdum dolens; *aquæ Bonnes* * intus & extus adhibitæ ulceris intra duas æstates curationem absolverunt, atque cruri naturalem statum conciliarunt.

* Bonnes.

OBSERV. XCV. Hispani crura admodùm œdematosa, ulceribus vetustis, remediis quibuslibet frustrà adhibitis, cooperta curaverunt intrà 60. dies *aquæ Bareges* *, numerabantur ulcera 24. in uno crure.

* Bareges.

THESIS XCII. Ast quomodo cicatricem inducunt & effingunt *aquæ*, illæ? Cicatrix seu callositas nil aliud refert quàm agglutinationem succi nutritii spuriâ resolutione comparatam, similem crustæ illi *glutinosæ* quæ in sanguine quiescente in patellis reperitur; omnis cicatrix quotidie magis aut minùs imminuitur (*a*), donec ligamentorum instar indurescat; dum rectè se habet incipiens illa coalitio, fiunt *carnosa* granula quæ crescunt more *stalattitarum*; succus nutritius extenditur intra partis læsæ insterstitia; & ad ossa viciniora usque non rarò pertingit. Motus quo mucus ad partem læsam appellit, ibique tùm sponte, tùm idoneis oscillationibus agglutinatur, vim cicatrisantem audire potest. Atqui *aquæ nostræ Bonnes & Bareges* illum præcipuè motum præstant; siquidem tonum textûs cellularis adaugent, ut constat ex eò quòd sæpè sæpiùs emacient; ita succum nutritium impediunt distribui more solito; forsanque ab ipsomet textu cellulari revocant; eumque colligunt ad massam humorum; observavi sanguinem eorum qui *stillicidiis calidis* ad 200. dies usi fuerant (*b*), merè pleuriticum esse, seu succo nutritio turgidum *. Quoniam in parte vulneratâ irritatio

(*a*) Vid. §. IV. & V. de resolutione.

(*b*) Diarium 1751.
* Thes. 30.

est

est & aliqualis inflammatio, motus, oscillationes, & eapropter humores advocans *, mucus nutritius ad partem vulneratam ideò debet majori copiâ deferri; aquæ autem prædictæ, *Bareges* & *Bonnes* febrem excitant moderatam, hujusce febris motus omnes criticos feliciter promovent, vel crisi febris ejus favent; crisis hæc aut effectus, muci in parte affectâ collectio, cicatrix; obvium est eam collectionem ad fluxum pituitosum esse revocandam. Erunt igitur in cicatricis progressu tempora, nempè tempus primum, ciendo in textûs cellularis debito motui, debitæque in sanguine colligendæ muci copiæ idoneum; secundum, faustam suppurationem excitans tùm superando vitiosas callositates, tùm ipsas aut vasorum lacinia per escarram ablegando; tertium demum, cicatricem verè effingens tùm per debitam muci præparationem illiusque ad vulnus directionem, tùm per ipsius muci applicationem agglutinationemque. Exinde fit ut emaciatio quædam magnarum cicatricum ferè semper comes sit; quæ omnia luculenter observare est in cicatrice v. g. ab amputato membro. Hinc patet cur minima sæpè cibi solidi copia lethalis, in febre cicatrisante, præsertim versùs ultimum febris ejus tempus, quoniam tunc adest in corpore perturbatio acuta excretoria, quæ si pervertatur labore digestionis; mirum quàm subitò ægris moriendum sit (*a*). Hinc plurima phænomena explicabunt qui febris naturam & curationem noverint; cavendum idcircò ne febris cicatrisans intempestivè excitetur, &c.

* Thes. 32.

(*a*) Specimen novi Medicin. conspect.

Observ. XCVI. Spinam ferream deglutiebat opifex, quam ano depositam credidit; post biennium intumuit ani margo callosaque valde facta est. Suppurationem accersivere, circa 14. diem, *aquæ Bonnes* epotæ eorumque *stillicidium* & *balnea*; spina expulsa fuit, laudabilisque facta cicatrix eâdem medelâ. Quidam fistulâ admodùm *complicatâ* in ano, *stillicidio & potu aquarum Bareges, perfectè sanatus est.* Consulantur observationes alibi allatæ (*a*), iis palam fit, quasdam ani fistulas operatione non indigere; classis autem earum apprimè definienda remanet *.

(*a*) Colend. Pater, ubi sup.

* Bonnes. Bareges 1750. 1752.

Observ. XCVII. *Callositates* aliquæ resolvuntur *aquis nostris*, multæ verò aquis illis resistunt. Puero, quem post variolas tumor musculorum colli corripuit, subvenerunt *aquæ Bareges* (*a*). Tumorem in clune, qui supervenit mulieri post menstruorum suppressionem, imminuerunt *aquæ Bareges*, resolvebatur tumoris cortex (*b*), resistebat tumoris nucleus *. Sæpè sæpiusque *aquis* illis diversimodè exhibitis tumores in collo, qui nihil aliud erant quàm glandulæ lymphaticæ in volumine adauctæ humoribus repletæ, parotides, glandulas axillares, necnon mamillarum *tumefactiones* sanavimus.

(*a*) Testis ubi sup.

(*b*) Vid. §. IV. & V.

* Bareges 1750.

Thesis XCIII. Quid autem sit resolutio definiendum, ut tumores *resolubiles* ab *irresolubilibus*, qui non pauci sunt (*a*), distinguantur. Tumor resolutioni proximus adaugetur primò, turget, induratur, ita ut inexpertos terreat (*b*); febris oritur, certò localis, sæpe generalis; cujus viribus retenta in tumore moventur, seu solida tonum naturalem recuperant. Hæc potissimùm in œdemate partiumque *madore* levioribus; ast virium tonique in solidis recuperationem difficilè explicabis in omni casu possibili, ni contendas fibram omnem animalem ex naturâ suâ eâdem vi, eâdem ad motum potentiâ gaudere in infantibus, adultis, & senioribus (*c*); corpus cellulare in iis varias vires *respectivas*, dissimilitudinemque omnem efficit & fovet. Hinc in pueris merè mucilaginosum vix *textum*, fibras implicat, & sistit; senum fibræ textu mucoso rigidiori, exsiccato detinentur; mediâ ætate vigent, & impediuntur minùs quàm fieri potest. Œdemate partes & fibræ velut in pueritiâ impediuntur; *callositate* seu *rigiditate* partium sicut in

(*a*) Vid. §. IV.

(*b*) Diar. 1750.

(*c*) Vid. §. V.

ſenibus. Hinc in œdemate potiſſimùmque in plethorâ vaſorum ultra tonum diſtentorum, ſuperflua primò expellenda fluida, tum albuminoſo ſucco denuò obducenda, reparanda, trulliſſanda, quod etiam accidit; omnis enim perfecta reſolutio præ ſe fert imflammationem aliqualem, *coalitionem*que. * Theſ. 28. Hinc pars in quâ facta fuit reſolutio, nunquam ſanæ omninò ſimilis *. Hinc reſolutio in pueris facilior. Hincque multi recidivi morbi. Dum autem pituitoſus aut *calloſus* tumor adeſt, tunc uti minimè facilem ita rariſſimam reſolutionem notabis; in proclivi erit ſuppuratio vel perfecta, vel imperfecta; probat obſervatio; & non rarò *ſtillicidium Bareges* tumores illos ſuppurat (*d*). (*d*) Diar. 1750. Porrò reſolutio & ſuppuratio ſibi mutuò vires addunt. Neque tamen negandum *calloſitates* aliquot aliquatenus imminui *aquis noſtratibus*; ſic cicatrices ipſæmet perpetuò exareſcunt, & imminuuntur velut in maraſmo *; * Theſ. 91. 93. ſic cicatrices, quarum volumine nervi comprimebantur imminutas fuiſſe aiunt *aquis Bareges* (*e*). (*e*) Clar. Deſault. Diſſertat. ſur la Pierre. Reſolutio forſan fit aliquatenus ab appellente copioſo ſucco nutritio qui jam concretum, (ut metallum fuſum metallum non fuſum) exſuſcitat, poſteàque ſolidis obſequioſum facit, quò per excretoria tum viciniora tum generaliora foras expellatur. Vis autem reſolvens in medicamento erit quæ *impactos* humores per excretiora ducet dum fieri poterit, quod *aquæ Bareges* & *Bonnes* præſertim (*f*) efficiunt. (*f*) Vid. §. V.

Observ. XCVIII. In expulſione extraneorum è corpore ſummè gloriantur *aquæ noſtrates.* Illæ autem, ut reſolutio & ſuppuratio, fiunt expulſiones. Vis hæc in *aquis Bonnes* Obſ. 96. demonſtratur; infinita *Bareges* habet ſuper iis. Glandes plumbeas pannorumque fruſtula multa, veluti trophœa hîc liquerunt Illuſtriſſimi Viri *ob patriam pugnando vulnera paſſi*. Viri militaris genæ vulnus intulit glans plumbea; curaverunt vulnus, glandis obliti ſunt: vividas è naribus hæmorrhagias expertus eſt æger quarum ſanandarum cauſâ venit *Bareges*. Magnam ſanguinis è naribus quantitatem glandemque plumbeam, quam in ſinubus locum habuiſſe ſuſpicandum, depulere *aquæ Bareges*, ſicque curationem abſolverunt. Alterius etiam pectoris lateri dextro in muſculis vulnus intulit glans plumbea, intactis thoracis cavitate coſtiſve, vulnera aderant duo, anterius unum, aliud poſterius; in utroque vulnere perfecta cicatrix. Aſt latus hoc integrum afflixere vividi dolores velut rheumatici, *ſtillicidium balneaque Bareges* unam è cicatricibus explicuere, glandem plumbeam expulere ægerque ſanatus eſt. Puella venit *Bareges* ulcus in pectoris latere ſanandi causâ, coſtas carie affectas putabant, *aquæ* ferream acum adduxere, ægramque à morbo liberarunt. Vir in terram lapſus eſt, vulnus juxta labia inflictum, quod cicatriſare nullum penès fuit remedium, *aquæ Bareges* fruſtulum ligneum expromſere, ægroque ſalutem conciliarunt. Innumera ſunt hujus modi exempla omnibus, in Patriâ notiſſima *. * Bareges 1750. 1751.

Thesis XCIV. Commotionem febrilem excitant *aquæ Bareges* & *Bonnes*, prætereà ad partem affectam copiam humorum emittunt, nec deeſt forſan humoribus illis vis cicatricem fondens, unde cicatrix vetus aperiatur neceſſum eſt, novâ fiente cicatrice, quæ ſpatium omne vacuum replet. Porrò febris ex ſemetipſâ non ſemper cicatrices aperit, hydrargyroſi etiam cicitrices obſiſtentes annotavi, quæ *aquis noſtris* dehiſcebant (*a*); (*a*) Diar. 1750. unde ipſis peculiare aliquid tribuendum, quod febri ſpontaneæ, & febri ab hydrargyro deeſt; ſuccum ſcilicet nutritium ad partem pellunt, cicatricem hoc fluxu mucoſo vel pituitoſo elaboraturæ. Calloſitates aliquot, oſſium partes, tumoreſque ipſimet aliquando velut extranea corpori habentur, unde hæc

omnia *aquis nostris* vel expelluntur, vel ad expulsionem præparantur, quod uti multi faciendum in plurimis morbis, ita aliquando perniciosum, velut in cancro (*b*).

(*b*) §. IV. de cancro.

OBSERV. XCIX. Fistulas tres in scapulæ parte supernâ à glande plumbeâ, quæ *omoplatam* transfoderat, claviculamque fregerat, inflictas (*a*); quatuor alia fistulosa in genu foramina, post abcessum à rheumatismo productum; foramina duo quorum unum in parte anteriore infimi ventris, alterum verò in clunis parte mediâ ad os usque penetrabat, curaverunt *aquæ Bareges*. Testiculi ulcus fistulosum *aquis Bonnes*, alia duo *Bareges* ut & pedis fistulas post luxationem, demumque in scapulæ articulo suppuratos tumores *aquis Bonnes* curata vidimus *.

(*a*) Testis Bannieres ubi sup.

* Bareges. Bonnes 1750, 1751.

OBSERV. C. Ossium hîc sistendi morbi. Plebeius qui vitam sapienter degerat, ad corporis extrema acerbissimis doloribus versùs ætatis annum 30. cruciatus est; in tibiâ ortus est tumor ex quo ossis fragmentum eduxere *aquæ Bareges*, priùs excitatis in parte inflammatione & suppuratione, sanitas intra 60. dies restituta est. Multos, post ægritudines carie affectos, genu fractum glande plumbeâ, femur cariosum post variolas, *Bareges*; ossa innominata carie contaminata, *Bonnes*; cariem in vertebris lumbaribus, caries plurimas in costis, *Bareges*; cariem sterni, *Bonnes*; claviculæ & omoplatæ, brachii post variolas & ex fracturâ, *Bareges*; pedis & manus phalangium, *Bonnes*; ossis ethmoidei cariem, *Bonnes* & *Bareges*; menti, orbitarum, aurium, frontis, omnium demum corporis humani ossium cariem, neque exceptis laryngis, tracheæque arteriæ cartilaginibus, & osse *coccix*, hanc, inquam, malorum turmam *aquis nostris* * eversam habemus.

* Bareges. Bonnes 1750, 1751. &c.

OBSERV. CI. Huc reducendæ veniunt fistulæ lachrimales, quarum sanandarum gratiâ adhibuimus (*a*) *Bareges*, methodos Neotericorum, maximè favente *aquarum* usu, *injectionibus*, *stillicidio*; fistulam in quâ dilatabatur saccus nazalis cum puris ab intimâ palpebrarum commissurâ eruptione, sanatam vidi *aquarum Bonnes stillicidio*, cujus ope unicâ apertus est ductus nazalis *.

(*a*) §. V.

* Bareges. Bonnes 1751.

THESIS XCV. Fluxus aquosos atque pituitosos, œdemata aliosque humores ossa ipsa penetrare posse constat; salia acida multi advocant quibus ossa dissolvantur; ast ossium *mollitiem* & *solutionem*, ex prolatis circà fluxus * facilè deduces. *Carnificatio* eorum, fluxus pituitosus vel ex succo nutritio erit, non secus ac calus, qui succi nutritii copiam sæpe demonstrat. Sic juniores morbis illis obnoxii magis, ossa enim eorum aquâ turgent, unde juventus ver ossium dici potest, senectus eorum hyems. Sic suppuratione carnium, ossa mutantur in amputato membro, ipsaque succo nutritio solvuntur, & cicatrice induuntur, tunc enim certissimè ad acida non recurreres. Hinc rariora forsan explicabis phænomena, periosteum enim integrum in corpore peculiaris membrana *submusculosa*, multa patitur quæ ossium nutritionem impedire possunt aut disturbare. An ex iis erui posset *emollitorum*, absque carie aut vulnere in carnibus, ossium curatio?

* Thes. 81

OBSERV. CII. Viscerum jam omnes idiopathici morbi qui causis prædictis foventur facilè perpendi possunt. Uteri hæmorrhagiam, dolores, motusve convulsivos ex utero duro & indolente oriunda, composuere *balnea* & injectiones *Bareges*; uteri ulcus à partu, *aquarum Bonnes* ope discussum est. Uteri ulcus quod abdominis musculos perforaverat, ita ut aqua injecta in vaginam, per infimi ventris parietes exiret & vice versâ, *Bareges* sanatum est *.

* Bonnes. Bareges 1750, 1751.

Observ. CIII. Per vulnus ad pubim in vesicâ glande plumbeâ inflictum, urina fluebat sponte. Huic fistulæ sanationem conciliarunt *aquæ Bareges*. Vir qui pus urinæ admixtum meiebat (præcesserant autem in rene suppurationis signa), salutem invenit *Bonnes*. Ulcera duo vesicæ confirmata, à causâ internâ, sanari vidimus *Bareges* *.

* Bareges. Bonnes 1751. 1752.

Observ. CIV. Mulierem dysenteria, quam subsecutum est ulcus in fistulâ intestinali, eo mali redegerat, ut quotiescumque alvum exoneraret, totis viribus præ dolore ejularet; pus & materies sanguinolentas deponebat, marasmoque confecta fuit, cum febre & veluti desperata videbatur, incassùm exhibita sunt remedia quælibet; tandem *potu aquarum Bonnes*, harum & enematibus, intra 4. dies diarrhea & dolores compescebantur; hinc salutem brevi consecuta fuit ægra. Sic vir eodem morbo laborans, frustrà tentatis per octo menses remediis, ut & mulier quæ paulò post partum pus ano deponebat, sanitatem *aquis Bonnes* consecuti sunt. Ulcera intestinorum haud pauca sanata fuisse *Bareges* constat *.

* Bonnes. Bareges 1750. 1751. 1752.

Observ. CV. Juvenes quorum glandulæ mesenterii tumebant, *aquis Cauterès* admodùm sublevatos vidi; viderunt & paria *Bannieres font. Salut* (*a*). Puerum marasmo confectum, febreque quotidianâ sæpe cum frigore recrudescente, atque insuper fluxu cæliaco laborantem *aquæ Bonnes* * sanavere. Fluxui cæliaco olim profuisse *Bannieres, le petit bain*, fama est (*b*). Tumores autem mesenterii ad scrophulas proximè spectant (*c*).

(*a*) Testis ubi supr.

* Cauterès. Bareges.

(*b*) Minviele ubi sup.

(*c*) §. IV.

Observ. CVI. Lienem tumidum in puero tum & in adulto discusserunt *aquæ calidæ Bareges*, *balneaque temperata*. Tumores duros indolentes, maximè imminutos ab ipsammet die octavâ vidimus *balneis* & *potu*; sic hypocondriaci hepar tumentem imminuebant aquæ eædem. Humorum in viscerum vasis redundantia, vel plethora vasorum non raró discutitur *aquis* omnibus *nostris*. Tumorem in muliere hystericâ hypocondria occupantem, ita ut viderentur impedita jecur & lien, solutum vidi *aquis Cauterès*. An tumores ii à colo? Intestinum illud sæpe incautos fallit, hepatisque lienisve tumores mentitur. Demum vesiculam fellis tumentem *aquis Bannieres* evacuatam observavi *.

* 1751.

Observ. CVII. (1) Vir aliàs robustus admodùm, post corporis animique exercitationem nimiam, gracilis debilisque summè factus est, non sine febre; tumuit ipsius crus dextrum, fuitque tentatum erysipelate identidem recurrente; in jecore tumor percipiebatur ad omnem infimi ventris regionem extensus, ita ut hunc jecori & omento proprium judicaverint Artis magistri; deficiebant in dies, vires & ventriculi appetitus, nihilque profuerant vulgata medicamenta; hausit primò æger *aquas Cauterès* translatas, dein ad fontem; sicque perfectam obtinuit sanitatem, cruris abdominisque evanuit tumor, restitutæ vires ciborumque appetentia.

Observ. CVIII. Mulier temperamento spongioso prædita, icterisque recurrentibus obnoxia, febre continuâ cum exacerbationibus laboravit; hanc absolverunt febris cum horrore & dolore in hypocondrio dextro, suppu-

(1) Observationem hanc nobiscum communicavit M. Paschasius Borie Saluberrimæ Facultatis Paris. Doctor, qui pridèm aquas Cauterès in phthysi pulmonali celebravit, (*An Phthysi ultimum gradum nondum assecutæ aquæ Cauterienses, vulgò de Cauterès? ..... Quæstio Medica Parisiis... anno 1746.*) Vestigiis insistens Clariss. Patris sui, Joannis-Francisc. Borie, Medicinæ Doctoris, practicique in patriâ nostrâ, dum viveret, famigeratissimi, qui anno 1714. opus edidit optimæ notæ, (*la Recherche des Eaux Minérales de Cauterès avec la manière d'en user ... à Tarbe.*)

ratio hepatis; febrim adaugebant *aquæ Bonnes*, dein cum urinis maxima puris quantitas excernebatur per tres dies; recruduere ſymptomata circa 12. diem; nihilominùs tamen eâdem perſtante medelâ, ano puris copia excernebatur, poſtea viribus valuit optimèque ſe habuit mulier *. * Bonnes 1751.

Observ. CIX. Pulmone viri nobilis enſe transfixo, ſanguinis copiam, puſque exinde ſpuit æger. Ulceri huic obfuerunt *aquæ Cauterès*. Siccus & acer erat vir iſte; pectus expedivere *aquæ Bonnes*; ſputa alias fœtida laudabilem induerunt indolem; æger multò meliùs ſe habebat cum ab aquis diſceſſit *. * Bonnes 1750.

Observ. CX. Vir nobilis cujus frater pulmonum ulcere extinctus erat, pus verſùs ætatis annum 40 ſpuit (ſputo autem ſanguinis identidem laboraverat), febre corripiebatur, fermè delebatur ventriculi appetitus; jam apparebant ſudores nocturni, diarrhea, ſputaque evidenter purulenta; omnia demum in pejus ruebant in dies; vires & famem excitarunt, pectus expedivere *aquæ Bonnes* & ſputa quæ ſtatim valde augebantur, intra 60. dies exaruere *. * Bonnes 1751.

Observ. CXI. Tuſſi validiſſimâ à tribus menſibus tentata mulier, cum ſputo ſanguinis, calculum excreavit piſi magnitudinem adæquantem, paulò poſt pus ſpuit; ulceri necnon obeſitati conſuluerunt *aquæ Bonnes*. Sic novi hominem qui tuſſiendo partem clavi ferrei expulit, unde pectus & fauces omninò allevata, neque ampliùs excreatum fuit, non neglectis *aquis Bonnes* *. * Bonnes 1752.

Observ. CXII. Ex peripneumoniâ puris ſputator, febre laborans cum macie & debilitate, *potu aquarum Bonnes* excreationem copioſiorem primò expertus eſt, poſteà pelliculas, ſcicilet vomicæ cyſtidem, cum ſputis elicuere *aquæ* eædem pectuſque expedivere, viribus & obeſitati conſulendo *. * Bonnes 1750.

Observ. CXIII. Juvenem ætatis ſuæ 26. temperamento ſicco, debili, & bilioſo præditum, vividiſſimus torquebat catarrhus, cum pauciſſimâ excreatione; ſuperfuerunt diu calor urens in tracheæ interioribus, difficiliſque & dolens reſpiratio, *aquæ Cauterès font. Laraliere*, pectus expeditum corpuſque habitius fecerunt *. * Cauterès 1750.

Observ. CXIV. Vir ſpongioſus, humidus, à pueritiâ oculos infirmos habuit, œdematiâ aliquali tumebat corpus integrum; iis ſublatis ætatis progreſſu aſthma humidum ſæviebat; inſultus erant quotidie bini vel terni; *Cauterès aquæ font. Laraliere* vix aliquid movebant; *aquæ du petit bain* inſultus frequentes minùs fecere, excreatione portentoſè adauctâ, harumque continuato uſu per menſem & ampliùs, diu inſultu aſthmatico immunis perſtavit. An curatio hæc integra, perfecta? Num ex obſervatione iſtâ apprimè patet aſthmatis diſpoſitio paulatim in pulmone ſedem præparans, cum externarum partium in internas conamine *? * Cauterès 1750.

Observ. CXV. Juvenis bilioſus, febribus intermittentibus identidem tentatus, febre malignâ laboravit, cujus in ultimo tempore, linguæ paralyſi correptus eſt, à recidivo morbo liberatâ linguâ, pectus poſteà implicitum fuit quod expedivit copioſa materiei purulentæ excretio per ſputa; hinc febris lenta, maraſmus, diarrhea, pedumque tumor, à tribus menſibus ſupinus procumbere non valebat æger, præatereà aderat ſuffocationis metus, vel in minimo corporis motu; vix profuere, vix aliquid movebant *aquæ Cauterès fontis Laraliere*. Pectus expedivit ſuffocationemque imminuit, ſputa promovendo *fons Mauhourat*; dein ventriculi digeſtio facilior paululùm, vireſque

corporis adauctæ. Vere sequenti iterum sanguinem pusve spuit æger, adstante suffocationis metu cum febre; tunc eædem *aquæ Cauterès font. mauhorat* ita pectori subvenere, ut deinceps toto apprimè valeat corpore, exceptâ linguâ quæ insultu paralytico identidem recurrente tentatur. An continuo gressu progreditur morbi nucleus adhuc in pectore cubans *?

* Cauterès 1751.

Observ. CXVI. Juvenem invasit pleuritis, hanc subsecuta sunt febris lenta, sudores, respirandi difficultas, tussis, debilitas, maciesque; nil profuerunt *edulcorantia* quælibet & quæ pectori dicantur medicamenta. Venit *Bareges* inconsultus æger, bibit *aquas font. la Chapelle*; iis verò ventriculus brevi debilitatus omninò fuit, unde *ex fonte calido* per tres dies bibit æger irâ percitus. Nocte 4. à *potu aquarum calid.* 6. à *potu tepida* parum absuit quin suffocaretur, maximam puris quantitatem excreavit, exinde intra paucos dies meliùs se habuit æger, & 3. ab illinc mense sanitate florentissimâ, viribusque valuit. Hocce exemplum unicum *Bareges* vidimus; sic ulcere pulmonis affectum, in tertio morbi gradu, cui *aquas Bonnes* præscripserat colend. Pater curaverunt *aquæ Chaudes*, triginta abhinc annis (a). Sic ægrorum ipsamet animi fortitudo, erroresque & periclitationes, Medicinæ prodesse possunt *.

(a) Lettres contenant des Essais sur les Eaux, &c.

* Bareges 1751.

Observ. CXVII. Cataractam *aquis Bannieres* resolutam famâ haberi non tacebo (a). Morbum tamen eum *Bareges* & alibi pertinaciter obsistentem vidi. Ast cicatriculas aut callositates in corneâ, inflammationis effectus, imminutas aliquatenùs observavi *Bareges* & *aquis Bonnes*. *Meminit Lommius (b) suffusionis seu incipientis cataractæ à stomacho proficiscentis, & asserit talem suffusionem intermittere & remittere, si curatâ coctione prospectum stomacho est, invalescere & reverti si is cruditate labefactetur* (c) quod obiter notare expedit *.

(a) Testis ubi supr.

(b) Lommius lib. 2. observ.

(c) Hoffman de consensu partium nervos.

* Bareges.

Observ. CXVIII. Juvenis quem à febre intermittente immunem fecit Kinækinæ usus, anxius, gracilis, debilisque factus est, complanabantur genæ, oculi eminebant, cutis aspera erat abdominis viscera omninò contrahebantur. Corpus viribus valens habitiusque effecerunt *aquæ Cauterès font. Laraliere*, prostratam ventriculi functionem restituendo *.

* Cauterès 1750.

Observ. CXIX. Licentiosiori vitæ indulgens juvenis, magis ac magis renum seu lumborum debilitate affectus est, adeòque emaciatus ut scheleton cute obductum dixisses. Vires ciborumque appetentia penitùs prostrabantur; motum recusabant crura & brachia, perpetuus erat dolor juxta spinam dorsi tumebant palpebræ, ipsi oculi prominentes unde horridi, cutis sicca, squammosa, squalida & furfuribus obsita. Decem per menses in hoc perstitit statu, frustra adhibitis remediis quibuslibet. Ciborum appetentiam & vires recuperavit æger *potu aquarum calid. Bareges, balneisque temperatis*; febris oriebatur, cutisque pabulis herpeti miliari similibus inquinata fuit, demum intra 60. circiter dierum spatium agilis satis factus, fluente sudore fluentibusque urinis turbulentis, sanatum se clamabat æger, nimis, ut timui festinans. An morbus hic tabis dorsalis Hippocraticæ species *?

* Bareges 1750.

Thesis XCVI. Observationes jamdiu his æquales perpendens aquas *Bonnes* consumptioni Anglorum salutares fore speravi (a). Juvenem Anglum *Bereges* vidi emaciatum omninò, neque minùs agilem, petulantem, infinita animo agitantem, perpetuò currentem, ingeniosissimum, doctissimum, pectoris angustiam, abdominis turbam, capitis obnubilationem, ventriculi appetitus imminutionem accusans, dum indesinenter loquebatur & vociferabatur, dum sublimiora meditabatur & alimenta quælibet vorabat; marcor nihilominùs quotidie augebatur, febriculam accusabam, pul-

(a) Lettres contenant des Essais, &c.

sum aliunde instanti quolibet pathematum catervâ agitante. Mirum quid levamenti *potu aquæ calidæ Bareges balneisque temperatis*, tribus primis diebus se expertum fuisse clamaret; nihilominùs brevi, opinionum mutabilitate effrænus, abiit, effugit, ad *aquas Chaudes* adire se aïebat, posteà ad *aquas Bonnes*, Hispaniæ Italiæque hinc iter sibi promittens. Oh morbi miranda phænomena! quæ studium sapientiæ, meditationes, ingenii acies gulaque fovent, & intemperata omnis libido. Fame extinctis *consumpti* illi comparari queunt, vel iis quorum glandulæ mesenterii obstructæ venas lacteas delent; abest succus nutritius è sanguine, nullo rore reparante gaudent partes, ex eo exarescentes. Marasmo affecti sanguinem intuens solutum vidi; nutritius scilicet succus nullus aderat. Sic in malignarum febrium fine cruor omni albumine expoliatur (*b*), similis pleuriticorum sanguini, ex quo cuticula vel fungus, ut aiunt, sublata sunt in patellâ. (*b*) vid. §. 1[illegible]

OBSERV. CXX. Convulsiones aut paralyses membri cujuslibet, à morbo idiopathico vel sympathico cerebri pendentes hic revocari possunt præter jam dicta alibi *; convulsio autem, potissimùm dum à ventriculo oriunda, *aquis nostris* sæpe curatur *. Paralysi affectos septem numero annotavi *Bareges* ipso anno 1751. 1°. Juvenem apoplexiâ levissimâ tentatum, unde crurum paralysis, quæ *balneis*, *potu & stillicid.* sanata videbatur; 2°. juvenem qui ciborum pleno ventriculo, atque manante sudore fluvium natando trajecerat, & qui post levem apoplexiam hemiplegiâ laboravit, hunc fermè curaverunt *aquæ* intra tempestates duas; 3°. lateris paralysim cum memoriæ abolitione fermè etiam sanatum; 4°. alium qui motum cruris non verò brachii (quod sæpe observatur) recuperavit; tres aliæ Obs. ipsis æquales, scilicet ægri satis sublevati sunt, non omninò sanati. Vidimus etiam lapsu paralysi affectas tibias ita ut super genua progrediretur æger (qui juvenis adhuc) perfectè curatas, tum virum qui ex ictu capiti inflicto paralysi brachii laborabat *.

* Thes. 55.
* Thes. 5[illegible].
* Bareges 1751.

OBSERV. CXXI. Helluonis latus alterum ad linguæ usque mediam partem palatique vel & ipsiusmet uvulæ (*a*) paralysi correptum est; huic intra 15. dies sanitatem largitæ sunt *aquæ Chaudes*. Alium eodem morbo tentatum, qui varia incassùm expertus erat remedia, curarunt *balnea aquarum Chaudes font. du Roy* *. Alii non pauci salutem invenerunt, vel sublevati sunt *Cauterès*.

(*a*) Quod Aretæus apprimè depingebat cap. de paralys.

* Chaudes. Observ. hæc ad me non pertinet.

OBSERV. CXXII. Senis Hemiplegiâ tentati crus non autem brachium sublevarunt *aquæ Bannieres font. Saint Roch*. Paralyticis tribus, quorum duo temperamento pituitoso, altera (hæc enim fæmina fuit) temperamento sanguineo pollebant, salutem largita sunt *balnea Bannieres font. Theas.* *.. Salus ea num perfecta fuerit non pronuntiat testis.

* Bannieres. test. ubi sup.

THESIS XCVII. Paralyses inter aliquot, motusque convulsivos, atque *rheumatismum* relatio adeò evidens existit, ut morbos eos omnes ad classem eamdem non referre fermè impossibile; quoniam præsertim sæpe sæpiusque partem eamdem simul obsident, quod experientiâ constat. Rheumatismus autem, ut alibi prolatum abundè fuit *, à stomacho non raro oriundus; præterea tot sunt convulsiones & paralytodei affectus membrorum, à vermibus à miasmatibusque in stomacho nidulantibus, ut paralysim quamdam merè *stomachicam* existere nil dubium. Sic à tumore in splene latus sinistrum paralyticum & marasmo affectum vidi; sic mulieres observantur quarum extremitates inferiores paralysi afficiuntur ab abdomine, sano aliunde cerebro; ita ut paralysis potissimùm duplex, à stomacho & intestinis

* Thes. 6[illegible]

alia, quæ levior eſt convulſiva, ſanabilis; alia verò ab impeditis cerebro ejuſque medullis (a). Exiſtimabat ſagiciſſimus Aretæus *imperfectas eſſe ac dimidiatas membrorum functiones, in reſolutione nervorum, ſtomachumque & inteſtina, veſicam, oblongumque inteſtinum ad anum uſque idem vitium pati* (b). Meminiſſe præſertim maximè intereſt morbum quemlibet idiopathicum, aliquid ſymptomatici habere *; vix enim pars minima idiopathicè afficitur quin ventriculi functio inde mutetur. Digeſtionis autem labore, hujuſve motibus maxima patrantur in corpore *, & in parte idiopathicè affectâ. Porrò mutatio hæc partis affectæ à ventriculi motibus oriunda, Medico numquam negligi debet, ex hâc enim vel cum illâ, morbus idiopathicus, quantùm fieri poteſt, ſolvendus.

(a) Vid. §. IV.

(b) Aretæus de nerv. reſolut. cap. 8.

* Theſ. 75.

* Theſ. 25.

I V.

MORBI *incurati* & incurabiles præclara docent rerum peritos; ægroti ſanis, non ſanati ſanandis, mortui etiam vivis amant ſuccurrere. Inſanatos igitur *aquarum noſtratium* ope, inſanabiles, & dubios, ſcilicet eos qui ſunt in ambiguo, hìc referam (a); dicam & errores meos & aliorum; homo enim, coram hominibus humana loquor, & ſi non falli, ſaltem fallere neſcius.

(a) Ex diariis omnibus.

OBSERV. CXXIII. Senem affectu rheumatico vividiſſimo lateris unius, cui ſucceſſit paralyſis, obrutum vidimus; ægrè ſe habebant oculus, auris, lingua, *aquæ Banieres font. S. Roch*, minimùm profuere, & nimis nocebant *aquæ Bareges* à quibus abſtinuit æger, me conſulente. Sic paralyticos plurimos obſervavi, quorum aliis nil proderant, aliis autem evidentiſſimè nocebant *aquæ noſtrates* *.

* Bannieres. Bareges 1751.

THESIS XCVIII. Sanationes obſervationum 120. imperfectas mancaſque prodo, dimidias velut ſanationes; obſervationibus 122. non omninò confido. Rariſſimè *aquis noſtrat.* paralyſes cerebrales, aut perfectas ſanari, lex eſto. *Sic thermarum uſus paralyticos quoſdam non ſanavit, imò eos multò deteriores reddidit* (a). Hinc *multi paralytici, non quidem ſublevati Bannieres, aſt funditùs everſi* (b). Nulli non notum eſt paralyſim genuinam, in cerebri & medullarum ejus abſconditis originem trahere, à cauſâ infixâ, impactâ profundè. Ejus cauſæ reſolutio, deſtructio, vix poſſibilis concipitur, reſolutio enim ferè omnis partis reſolvendæ *incrementum* ſupponit *, & per viciniæ excretoria perficitur; in cerebro incrementum, ſeu conamen reſolutionis ferè lethale, in eo præterea excretoria ferè deſunt. Ergò paralyſes quæ curantur, quæ vel imminuuntur aquis mineralibus fermè ſymptomaticæ, ſtomachicæ, ni œdema cerebri purgantibus aquis aliquatenùs imminui queat, colluvieſque ſeroſa evacuari; unde recidiva vix vitanda. Non ſolum igitur, *thermæ in paralyſi non ſunt ſine conſilio Medico tentandæ* (c), nec mirum, *paralyticum ſanatum* (aut ſublevatum) *qui dum recidivam metuebat, ad thermas Piperinas profectum, ex earum uſu in pejorem ſtatum recidiſſe atque in paralyſim* (d); ſed exulent ab *aquis mineralibus* paralytici ferè omnes confirmati, ab infeſto cerebro; aliundè, licet paralyticis non rarò purgantia medicamenta faveant, *eorum tamen præſertim fortiorum vi, humorum commotione, in partem affectam decubitus excitatur, & obſtructio adaugetur* (e) in cerebro. Paulatìm creſcit obſtructio hæc, nucleus hic, ex excretionum feriatione, motuum perturbatione, concretione minimâ; vel natalis conformatio ſemen illud ſerit *ab ipſâ pœnitendâ origine* (f). Quæ ſubitò accidunt ſymptomata in apoplexiâ, in paralyſi, morbum jamdiu incœptum plerumque demonſtrant. Inſultus morbi erunt tempora ultima, febres ultimæ, primæ inſenſibili ſuccedentes,

(a) Willis de morb. capitis.

(b) Teſtis ubi ſup.

* Theſ. 65.

(c) Willis ubi ſup.

(d) Helwigius apud Manget. Bibl. Medico pract.

(e) Schrockius apud Manget. de paralyſi.

(f) Plin. lib. 30. cap. 63.

cedentes. Dum igitur promittunt venæsectionem ante apoplexiæ insultum celebratam, hanc omninò arcere aut curare posse (*g*), cavendum est ne fallamur. Commotio verò ultima, apoplexiæ insultum pariens, sæpissimè, digestionis labore perficitur. Non secùs ac in vulnere, dum cicatrix perficitur febris ope *, sic intra cava cerebri, apoplexiæ causâ nucleove maturis, ad magnitudinem nimiam auctis, ita ut sit punctum irritationis præcipuum in corpore, digestionis labor intereà accidens corporis molem evertat necessum est. Mirum quæ urgente apoplexiâ quandoque meditentur ægri, quæ videant, quæ *proferant sensus omnis purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea. Primum quidem, ægri se ipsos de vitâ migraturos præsentiunt, deinde præsentibus futura denuntiant . . . dictorumque eventus homines in eorum admirationem concitat; exutoque sordibus animo, veracissimi vates efficiuntur* (*h*).

(*g*) Dict. James apoplexia.

* Thes. 68.

(*h*) Aretæus de caus. & sig. acut. morb. lib. 2. cap. 4.

Observ. CXXIV. In epilepsiæ insultu, partium omnium corporis contra partem peculiarem fœdus, vel virium in angulum corporis fluxus & collectio certò patent; unde *quicumque morbo assueti sunt, se correpturos iri prænoscunt* (*a*). Epilepsiâ laborans vir, circiter 35. annorum natus, *Bareges* accessit; *potu aquarum* & *baln.* usus est absque consilio Medico; raro autem insultu epilepsiæ vulgò percellebatur; ipsâmet *aquarum* usûs die 6. ter fractum cecidit corpus validiùs quàm unquam convulsum; advocatus meditabar perturbationem hanc, ex aquarum energiâ oriundam, criticam fortè futuram; ast tanta haud in me recipiens, ad venæsectionem confugi, quam etiam reiterari curavi. Tandem *aquas nostrates* (saltem Bareges) deliquendas suasi. An erat ipsis insistendum? Non puto. Hic sedulò notandus 6. dies, quem tyrannum in acutis appellare amabat Galenus; si fallebar in observatione hâc, saltem in aliis error non accidit; & evidentissimè expertus sum diem 6. ab inchoato usu *aquarum*, modò quantitas earum parùm notabilis, aliquid non rarò habere, quod dies alii non habent. Ita ut febris ab *aquis* excitata ad acutos morbos accedat. An ex eo per dies 9. aut 15. Antiqui *aquas* bibendas jubebant, quod adhuc apud plebeïos moris est? Utut sit epilepsiæ *aquas Bareges* * non convenire puto. *Thermæ enim illæ caput magnopere replent, unde in insultu epileptico nonnisi cautè admittantur* (*b*). Epilepsia si omninò sympathica sit, à primis viis v. g., lex nostra sanè non obtinet. Quis autem idiopathici & sympathici hîc limites assignabit?

(*a*) Hippoc. de Morb. sacro cap. 6.

* Bareges 1751.

(*b*) Raymond. Joan. Fortis apud Manget.

Observ. CXXV. Consuetâ tentato vertigine viro bilioso arridebat valdè potus *aquæ Bareges*; præ ventriculi molestiâ quam calorem appellabat, multùm edebat in mensâ lautis nimis epulis exstructâ; habitior factus est; tribus verò ab illinc mensibus, apoplexiâ extinctus fuit. Viri militaris capiti vulnus simplex inflixit, in parte supernâ, osse intaminato, glans plumbea perpendiculariter acta; hoc parvi fecere, vulnusque facillimè curatum est. Apparuerunt intereà stupor, dolor, pondusque capitis, visûs hebetudo, totius corporis œdematia, febris; venit æger *Bareges potu aquarum balneis* atque *stillicidio* uti voluit; circà 20. diem febre malignâ cerebrali correptus, circà 7. diem febris hujusce, extinctus est *. Aperto cadavere cerebrum sanum erat; in osse sphenoideo sacculus seu vesica aderat, ad superiora cerebrum pellens, aperto sacculo, saniei copia effluebat erantque totum ossis sphenoidei corpus & os ethmoideum integrum omninò carie infecta. Unde evidentissimè patet aquarum effectu virium humorumque quantitatem, ad caput translatam esse, quod in morbis illis vitandum fuisset, quoniam excretio critica impossibilis.

* Bareges 1751.

OBSERV. CXXVI. Morbos pectorales in corde idiopathicos, incurabiles confirmat & explicat Illust. D. Senac (a). *Aquarum nostrat.* vi non dubium quin exitiosi brevì fierent. Viri duo palpitationibus cordis omnimodè afficiebantur, alter ab angoribus implicatissimis, alter à pueritiâ absque causâ apparente. Morbo suo, ad animi deliquium usque, percellebantur ab assumpto omni medicamento, vel alimento quibus calor, cordisve motus paululùm adaugeretur. Demum ingravescente morbo, qui pluribus duraverat annis, pectoris plethorâ, invitis venæsectionibus, uterque moriebatur. Cor primi in dimensionem omnem monstrosè dilatatum erat, veluti cor bovis & majus adhuc, aliundè perfectè sanum. In corde alteriùs, aortæ valvulæ osseæ fermè erant, nec poterant cordis cavitatem claudere, polyposarum concretionum iis adhærentium copiâ. Demum militem ulcere scorbutico in tibiâ tentatum vidi, inutiles aquas *Bareges* * expertus est, quin & tertio ex earum usu mense obiit; cor atque pericardium ulcusculis plurimis scatebant, aderant autem in vivo palpitationes, cum gravissimo capitis dolore, mortuusque est veluti apoplecticus. Hæc igitur contra usum *aquarum* in cordis idiopathicis morbis pugnant certissimè. Unde, qui morbi nucleum alicujus molis habent in cerebro vel in corde, *aquis nostris*, saltem *Bareges*, non sanabuntur.

(a) Traité du Cœur.

* Bareges.

OBSERV. CXXVII. Pulmonis ulcere laborantes sex notavi ex usu vel non obstante usu *aquarum Bonnes* extinctos, in quorum aliis adaucta fuerat sputorum excretio, in aliis verò imminuta, in quibusdam effulgente spe salutis primis curationis diebus, quæ malacia fraudulenta nimis *.

* Bonnes 1750.

OBSERV. CXXVIII. *Pulmonarii*, jecoris tumore tentati appetitus *potu aquarum Cauterès* * restituebatur, ita ut efflorescerent vires corporis, etiam cum obesitate sanâ satis, ut videbatur; sequenti hyeme morbum consuetum comitati sunt rheumatici in brachiis & femoribus dolores, (qui non rarò observantur in pulmonicis cum malis ægri rebus), obiit æger veris mutationibus, quæ ut multis amicæ ita multis inimicæ noscuntur.

* Cauterès 1751.

OBSERV. CXXIX. Annuatim febre corripiebatur cum dolore hypocondrii dextri, tussi, respirandi difficultate, atque aphoniâ, vir melancolicus & siccus cujus jecur tumebat; pectus per tres annos expeditum fecit *potus aquarum Cauterès*, jecur magis ac magis ingurgitatum est, doloreque circumscripto afficiebatur; tandem anno 1750. hæmoptysim vividam accersivere *aquæ Cauterès* *, febris ex omnium judicio micavit, & hyeme mortuus est æger.

* Cauterès 1751.

OBSERV. CXXX. Adolescens qui canendo pectus fatigaverat, abcessu in digito manûs sinistræ laboravit à causâ, ut aiunt, internâ; ubi digitus suppuravit *potu* & *lotione aquarum Bonnes* * usus est æger, pulmonicusque factus est; aderat œdematies faciei in genâ sinistrâ digito suppurato correspondente; à nucleo morbi, uti verosimillimum est, in pectore sinistro nidulante.

* Bonnes 1751.

OBSERV. CXXXI. Loci paludosi frigidique habitator, putealem epotans aquam, jam senex & biliosi temperamenti, abscessus duos spontaneos habuit, alium in pedis sinistri digito medio, alterum in manûs ejusdem lateris digito etiam medio, quibus præerat sputum sanguinis copiosum, cum tussi, febriculâ, cutis siccitate; lacticinia, antiscorbutica, *aquas Bonnes* adhibui cum diætâ, post venæsectionem & catharticum. Ulcera pectusque multò meliùs se habere solo aquarum usu observans ipsemet æger, alia mea fastidivit remedia, aquas ut aiebat *divinas continuò sugens*; demum lætus ad me accedens, paucos post dies, digitos ostentat, prædicatque argenteum pectus; cicatrix perfecta erat in digitis, in pectore libertas omnimoda, motus

febrilis in pulsu ferè nullus, devictus tacebam; quid accidit? quindecim circiter ab illinc diebus advocatus fui, propter tumorem in mesenterio indolentem & quotidie crescentem; progressui hujus obsistere nequivi; frustrà in digitis suppurationem movere tentavi, invito omni remediorum genere, mense circiter post tumoris ortum elapso, æger mesenterio suppuratus obiit *.

* Bonnes 1751.

OBSERV. CXXXII. Pulmonum affectibus idiopathicis noxam sæpiùs inferre *aquas Bannieres* jamdiu publicavi. (a) In muliere quæ post partum menstruis fuerat orbata, pectoris ulcus quo extincta est, explicarunt *aquæ Bannieres font. Salut.* Virgini levi pulmonum ulcere laboranti, quam in summas adduxerunt angustias *aquæ Bannieres font. Salut.* paulisper opitulatæ sunt *aquæ Bonnes.* Alteram gracilem & siccam, cum appetitûs prostratione, pleuritide, quam subsecutum est pulmonis ulcus, corripuerunt *aquæ Bannieres.* Mulieris quæ asthmaticis velut insultibus cum colicis doloribus laborabat, anno circiter ætatis 50. *aquæ Bannieres font. Salut.* & *du Pré* respirationis difficultatem adaugebant; accessit posteà tussis, oculi dextri rubor, palpebræque tumefactio & genæ ejusdem lateris, decubitus super illo latere necessarius, pedis dextri œdematia, puris sputum, febris, mors duobus circiter abhinc mensibus. Juvenis scrophulis tentatus *aquas Salut.* epotavit, anno sequenti pus excreatum fuit, unde mors. Plura super iis dubitantibus dicanda haberem quæ tacebo, quoniam præjudicium in gratiam aquarum *Bannieres*, quod Antiquitatis jure animos excæcabat, jam deletum est, si quid ego judico.

(a) Lettres contenant des Essais.

OBSERV. CXXXIII. Inter asthmaticos, mulierem ab *epotis aquis Bannieres font. de la Reine*, hæmoptysi tentatam vidimus 5. potûs die. Asthmaticis quampluribus vix quidquam boni vel mali quisquam contulisse *aquas Bonnes, Bareges, Cauterès, Chaudes*, omnibus notum est; unum *aquis Bareges* fermè suffocatum, paulisper autem *aquis Cauterès* sublevatum vidi. Demum vix duo tresve asthmate confirmato perfectè curatos *aquis nostrat.* numerare poteris; ex adultis dico; levamen autem à sanatione distinguendum. Porrò asthmata ad morbos *incurabiles* * num sæpe referenda?

* Thesis 51.

THESIS XCIX. Hæc thermarum nostrarum facinora multa docent, plura indicant, plurima olim docebunt. 1°. Juxta Obs. 127. sputa quandoque ex *aquarum* usu supprimuntur, aliquandò verò copiosiora evadunt, sunt igitur casus ii distinguendi apprimè per signa sua dum fieri poterit. 2°. Levatio morbi pectoralis, si minùs faustum omen præ se ferat, aliquoties ut in Obs. 129. huic credere nimis non licet, hancque vehementiùs canentes, incautos alliciunt, aut semetipsos allucinantur. 3°. Aquarum usu sopitos morbos excitari cum constet Obs. 130. hincque nocere eas posse evidentissimum, crises aut excretiones quæ feliciter terminari nequeunt promovendo, eò potissimùm operam dare oportet, ut rectè computetur febris aquarum vi excitanda, cum superstite ægrorum vitâ; organa etiam determinari oportet, quæ debent excretioni inservire.

THESIS C. Nil magis audivi, quàm *aquarum nostrat.* laudes, quibus vis earum *aperitiva*, *fonden'que* ad sydera tollunt; sexentas possem, si libuerit, historias revocare, quæ sculptæ jacent multorum in capitibus; ast oculi mei, nescio quo fato, nil minùs viderunt quàm tumores resolutos, aut resolvi, glandulasque omninò discuti. Facem ferente observatione, præjudicatâ omni opinione liber; imminui glandulas multas vidi; ope *aquarum nostrat.* multas quæ in suppuratum abierunt; revoca observatio-

nem 60. &c. evidenter patebit simplicem vasorum plethoram apprimè vinci; ast *callositates*, *carnificationes* ad summum imminuere poteris; multi autem tumores in superficie, plethorâ vasorum, veluti cortice, investiuntur; in centro cubat nucleus *callosus*; corticem delebis, ast in nucleo oppugnando labor & opus est; verbo dicam, ex tumoribus duodecim veris aut confirmatis, ne duos quidèm omninò & perfectè delendos fore expectandum. Schirrodeos tumores qui in terram mutati sunt, nec alios, omninò insuperabiles pronuntio; ast famæ cupio frænos injici, quæ loquacula nimis semper mirifica effutit. Tumorum resolutiones *enuntiantur permulta tam præclara tam admiranda, quales ego neque ipse vidi; ego verò talia non proferam & arbitror eos qui hæc narrant, prodigiosius quàm facta sunt recensere* (a). Junior majora inconsultiùs canebam (b).

(a) Hipp. prædict. lib. 2. cap. 1. & 2.

(b) Lettres contenant des Essais.

OBSERV. CXXXIV. Ulcera, cariem, marasmoideasque dispositiones externas, aquis nostris semper cedere non putandum. Viri biliosi brachium dextrum marasmo fuit confectum, callosi facti sunt ipsius tendines, digitique adunci; nil profuerunt *stillicid. & balnea Bareges*, duos per menses adhibita. Extremitatum inferiorum convulsio atque marasmus, Americanum bilioso temperamento præditum, qui multùm in juventute venatus erat, sæpeque sudore manans loca paludosa adiverat, aliàs hæmorrhoidibus tentatum infestabant vertigines identidem recurrentes, flatus, motusque convulsivi aliquando ad abdominales musculos usque, morbum graviorem efficiebant; varia expertus erat remedia in insulâ *S. Domingue*, ubi frustrà adhibitæ fuerant thermæ *Banic*; tandem venit æger *Bareges* *, aquæ illæ omni modo exhibitæ, ne minimum etiam attulere solatium; sic pedum brachiorumque marasmis nil prodesse *aquas nostrates* sæpiùs observavi.

* Bareges 1750.

OBSERV. CXXXV. Virgini 24 annos natæ, cujus pes ulceribus cum ossium carie scatebat, nihil profuerunt *aquæ Bareges* *; Huicce ægritudini ansam præbuerat ictus, fueratque per suppurationem menstruis orbata virgo. Rusticum in genu atque crure, ulceribus articulationem permeantibus cum ossium carie, vermiumque ex ulceribus eruptione, tentatum non sublevarunt *aquæ Bareges*. Ulcus etiam post fluxum pituitosum à febre productum, insanatum vidimus in virgine à variolis asthmati obnoxiâ, quod asthma absolverat perstans pedis tumor posteà suppuratus.

* Bereges 1750.

OBSERV. CXXXVI. Boli igniarii, sive *Bombæ* fragmentum pedi maximum damnum attulit in milite, ossa tarsi & metatarsi inter se agglutinata sunt, tibiæ affigebatur *astragallus*, sinoviaque concreta extra articulationem in orbem prominebat; incassùm usurpata sunt *stillicidium balneaque Bareges* *, eodem tempore anchyloses duæ alia genu, altera cubiti aquis obstitere.

* Bareges 1750.

OBSERV. CXXXVII. Genu viri militaris transfodit glans plumbea, à femoris condylo externo ad tibiæ condylum internum repens; crus per curationem incurvatum hæsit, eundemque posteà situm servavit, donec *aquæ Bareges* per tres annos adhibitæ, situm hunc paululùm mutarunt. Parem forsan nunquam habebit nobilissimus vir, cujus genu articulationi noxam inflixerat glans plumbea; noxæ hujus gratiâ venit æger *Bareges*; alterius genu articulationem à decem annis immobilem, (erat enim ad femur incurvatum crus), alio perstante affectu, restituerunt aquæ; hæc seniorum traditio docet, quæ vires eundo acquirunt *.

* Bareges 1750.

OBSERV. CXXXVIII. Inter luxationes *irreductibiles*, quas ad *aquas nostrat.* relegare inutile prorsus censemus (a), quoniam musculi ab osse dimoto aquis nullatenùs, uti multi putant, relaxari queunt, non secùs ac alii qui in con-

(a) Diarium 1752.

tractione sistuntur, quatuor referam, in carpo una, aliæ in cubito; has insanatas reliquerunt *aquæ Bareges* & *Cauterès*.

Observ. CXXXIX. Americanum biliosum, siccum & petulantem, cujus rubebant capilli, à quatuor annis tentabant papulæ leves cum pruritu atque crustâ nigricante, hæc in quâlibet fermè corporis parte apparebant, postea que evanescebant. Manum hisce papulis laborantem medicamento nescio quo inunxerunt, evanuerunt papulæ, cutis callosa remansit, brevique post papula apparuit versus angulum externum oculi dextri, quam mox subsecuta est alia super sternum, ambo in ulcus mutatæ. Omnimodis incassùm tentatis remediis *Bareges* venit æger viribus valens, erant autem ulcera subrubra, mollia, pallida, spongiosa absque callositate evidenti, sine dolore, venulæ circum repentes & in interioribus ulcerum turgidæ satis, prodibat serositas subalbida & glutinosa; *aquæ Bareges* * per duos menses exhibitæ nil profuerunt. * Bareges 1750.

Observ. CXL. Nunc de morbis agendum in quibus nondum satis compertum est quid præstant aquæ nostrates; morbos eos dubios (*a*) habemus. *Aquarum nostrarum* præprimisque *Bareges*, & *Cauterès* potu balneisque morbi articularis insultus vividiores evadere, ut plurimùm, constat. An omine malo hæc accidunt? Sic *multi qui ad aquas Sancti Mauritii assumendas accesserunt, inde cum doloribus in articulis discessisse, aut paulò post eosdem passos fuisse* legitur (*b*). Melancolicum quemdam ac biliosum ad podagram hæmorrhoidesque natum, jamdiu vagis ubique corporis doloribus obnoxium, insultu podagrico in pede *potus* & *balnea aquarum Bareges* * cruciarunt, intra paucos dies, scilicet 7. aut 9. * Bareges 1751.

(*a*) Vide initium hujusce paragraphi.

(*b*) Joann. Raymond fortis apud Manget.

Observ. CXLI. Dolores pedis irregulares, paulòque post periodici, atque quotannis quinquies sexiesve recurrentes, in juvenem ab ætatis suæ annis 15. ad 25. & ampliùs baccho venerique deditum & lanistæ ludorum athletam sævierunt; tumebant pes ipsiusque digiti, sensim imminutum est crus, pes nunquam indolens *aquis* & *balneis Bareges* *, crus flexilis evasit, tumores ferè discutiebantur sedabaturque dolor. * Bareges 1751.

Observ. CXLII. Articulationum & manuum tumoribus doloribusque jamdiu tentatum rusticum, corripuit asthma. *Bareges* ab asthmate multùm sublevatus est, articulationes faciliùs movebantur, totâ hyeme sat bene se habuit, tempestate sequenti eamdem adhibuit medelam brevique multùm sublevatus abiit *. * Bareges 1751.

Observ. CXLIII. Rusticum gracilem, siccum, biliosum, colicisque doloribus vividissimis laborantem, corripuit rheumatismus podagricus, tumebant adeò crus & genu, ut hæc anchylosi affecta viderentur, huic salutem præstiterunt *potus balnea* & *stillicidium Bareges* *. * Bareges 1752.

Observ. CXLIV. Jamjam imminuto valde catameniorum fluxu, mulieri 42. annos natæ supervenit dolor ad coxam dextram, qui sensim ad ejusce lateris pedem decurrit; Tumuerunt pedis articulationes, eundemque, per annum servarunt habitum; frustrà adhibitis remediis quibusdam, hanc insultu podagrico infestarunt *potus* & *balnea aquarum Chaudes* *; hinc sublevata fuit, paulòque post uteri hæmorrhagiâ quâ multùm debilitata est laboravit; post hæc convaluit; sat bene se habuere menstrua; evasitque doloris in pede atque coxâ penitùs expers ægra. * Chaudes 1752.

Observ. CXLV. Vir litteratus ætatis suæ 50. obesus, edax, ingeniosissimusque, sponte factus est prægravis, piger, & anxius, prostratis omnimodè somno & appetitu; podagra etiam in pollice pedis dextri germi-

* Chaudes 1732. nabat; huic pristinam sanitatem conciliarunt *aquæ Chaudes* *; iisdemque denuò apparentibus symptomatis, tempestate sequenti, pari cum successu adhibitæ sunt ipsæmet aquæ.

OBSERV. CXLVI. Dolore atrocissimo ad coxam, ad genu, & pedem tentatus, cum pedis tumore, vir biliosus & flatibus in intestinis valdè affectus, hyemem miserrimè transegit, nullo non tentato auxilio, *aquis & balneis Cauterès* *, *Laraliere & fontaine du Bois*, omnia symptomata discussa fuere.

* Cauterès 1850.

THESIS CI. Perhibent Observ. illæ, viscerum vires mutatas, quæ podagræ ovum ponunt; crescit & explicatur dispositio hæc à visceribus ad inferiora cruris descendens, podagræ præbet lineamenta, præcordiorum etiam in podagrâ labes prodit, corpusque integrum labis hujus particeps probatur; podagra in viscera sæviens, vel ad hæc ut aiunt rursus ascendens (quod quidem morbi originem præbet), num manifestò demonstrat viscera jam leviter affecta esse ab ipsius morbi initio? Podagra in libidinosis pullulat juvenibus, dum sanguinei & biliosi sunt, rheumaticisque doloribus obnoxii; membranæ distrahuntur, concrescunt paulatim, tempus en primum; secundum tempus morbi hujus constituunt insultus periodici magis aut minùs ordinati 3°. demum viscera ipsamet magis aut minùs inquinata labis adauctæ signa docent, nec queunt post insultus vires recuperare priores; omnis excretio motusque excretorius imperfecta; paroxismus ipsemet podagræ impossibilis; *factum est podagræ alimentum integra substantia corporis* (a). Inde catervatim oriuntur œdemata vel asthmatici affectus, torpor totius corporis, scorbutica lues, quæ tertium podagræ gradum comitari non desinunt. *Arthritim autem continentem humorem, mucosum, & assimilem substantiæ nervosæ si ea liquaretur, substantiæ tendinosæ & nervosæ alimentum*, contendebat Ballonius post antiquiores (b). Pituitam certò vel succum nutritium in sanguine abundare ex prædictis * necessum est; ast succus ille mucosus, hic ut in omni ferè morbo †, causa morbi non est sed effectus. *Mucum in omnibus à naturâ esse* vidit Hippocrates, teste Ballonio (b); hic etiam revocanda Antiquiorum placita de *rore*, *glutine*, *cambio*, *&c.*

(a) Sydenham.

(b) Ballon de Arthritid p. 31.

* Thes. 36.

† Thes. 74.

THESIS CII. Hippocratis effata quæ lego, quis non collegit & meditatus est? *Quicumque aut senes sunt, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnosè vivunt, ac siccam alvum habent, hi omnes sani fieri non possunt humanâ arte, quantùm ego novi; sanant quidem hoc optimè dysenteriæ si successerint, sed & aliæ eliquationes valdè prosunt quæ ad infernas partes tendunt. Qui verò juvenis est, & circa articulos nondum tophaceos callos habet, & accuratè vivit, & laboris amans est, & alvum habet vitæ instituto probè cedentem, hic sanè Medicum intelligentiâ præditum nactus, sanus fieri poterit* (a). Oh Hippocrates, pauca observanda posteris reliquit vestra sagax diligentia! Tria tempora quæ superiùs distinguebamus in podagrâ *, num tua sunt? De alvo quæ asseris, sine nostris applicare; dysenteriæ si successerint sanari optimè jubetis podagricos, atqui horum duos, fistulâ ani & hæmorrhoidibus si non curatos saltem maximè sublevatos vidi. Erat igitur affectum abdomen. Suppositorio ex sapone quidam alvum sibi proprio nutu excitabat, unde levamentum in podagrâ; glandem hic suadet Hippocrates (b), lino quæ crudo, non verò linteo ut quidam typographi scripserunt urere *quocumque loco dolor forte consederit* (c), id apud Recentiores expertum est (d). Præterea *balnea, tepefactoria, fomenta emollientia, alvum subducentia, refrigerantia, clisteres, glandes, cumque dolor levatus fuerit medicamentum infra purgans, posteà*

(a) Hippoc. prædict. lib 2. cap. 7.

* Thes. 100.

(b) De affect. sect. 5 cap. 8.

(c) Ibid.

(d) Vid. Heister Chirurg.

ferum coctum aut lac asininum, quæ ab Hippocrate ſuadentur (*e*), calida medicamenta haberi nequeunt; calidis ſaltem & purgantibus remediis curationem inſtituere Hippocratem dici nequit. (*e*) Hippoc. ibid.

THESIS CIII. *In digito non eſt podagra, aſt duntaxat pomum ſive fructus radicis, ideoque etſi digitum abſcideris non proinde podagram ſanaveris* *; *itaque podagra eſt character morbidus ſeminaliter in ſpiritu vitæ inſertus, qui ſuæ maturitatis terminis fructum gignit; podagrici primùm agitantur in præcordiis, & tam internas potuum & ciborum, quàm externas aëris viciſſitudines ſentiunt, imò & ſæpe has futuras præſagiunt; quare patiuntur febriles motus primùm circa officinam ſpiritûs vitalis, ac quidem paroxiſmi initiis; etenim primi motus è præcordiis aſcendunt, ſedem animæ ſenſitivæ adoriuntur* (*a*); an igitur aſſerere licet ex Helmontio podagram ſedere in *ſpiritu vitali?* An podagra dici poteſt morbus contagioſus? Præterea jamdiu internum ſaponis uſum aquis noſtris in podagra addendum eſſe propoſitum eſt (*b*).

* Theſ. 69.

(*a*) Helmont. volupe viventium morbus antiquitùs putatus.

(*b*) Lettres contenant des Eſſais. ann. 1746. poſt D. Bouillet, Elemens de Medecine.

OBSERV. CXLVII. Maximam arenularum quantitatem elicuere *aquæ Bannieres font. Salut.* & *Laſerre* ex veſicâ virginis hyſtericæ, nephreticiſque doloribus vividiſſimis tentatæ. Huic autem meliùs atque diutiùs ſubveniebant *aquæ Bonnes* tametſi arenulas non elicerent *.

* Bannieres Bonnes 1752.

OBSERV. CXLVIII. Calculos plures *aquarum Bannieres font. Laſſerre*, uſu quotannis deponebat urinis vir 40. annos natus, ſiccus & bilioſus, dolore rheumatico tentatus; duos per annos adivit *Cauterès*, epotiſque *aquis Laraliere*, nephretici doloris calculorumque excretionis immunis per triennium perſtitit *.

THESIS CIV. *Bonnes* igitur & *Cauterès aquis* minor excernitur calculorum quantitas quàm *Bannieres;* nihilominùs *Bannieres* nephreticos quoſdam minùs ſublevat quàm *Bonnes* & *Cauterès*; an *aquæ* illæ ultimæ magis *formationi* calculorum opponuntur, ſucci nutritii plethoram præbendo, hincque lapillos inſenſibiliter excludendo. Sic non paucos vidi qui ſpontè matutinis horis globulos vel granula dura veluti calculoſa, tuſſi excreabant, & qui *aquarum Bonnes* uſu abundè expuebant abſque calculis his. Unde calculorum excretio adaucta vi medicamenti, hujus fauſtos effectus non ſemper argueret; *dari enim poteſt occaſio generationi lapidis utendo diureticis* (*a*); eâ enim proportione quâ primi calculi eruuntur à renibus, alii creſcunt.

* Cauterès 1752.

(*a*) Ballon. Epiſt. lib. 2.

OBSERV. CXLIX. Vetula quæ à decennio calculos cum urinis excernebat, inſultu nephritidis vividiſſimo tentata fuit, impeditumque pectus; ſputorum copiam cum bonis ægræ rebus elicuere *aquæ Bonnes* *; aſt in convaleſcentiâ, ſub linguâ verſus gingivas, viſus eſt tumor ex quo, apertâ ſponte oris membranâ, prodiit calculus ſimilis iis qui ab urethrâ prodibant. Jam tum multò minorem calculorum & arenæ copiam reddidit. Notandum inſuper ægram à morbo illo gulæ minùs indulgere.

* Bonnes 1752.

THESIS CV. An malacia hæc, morbi vel diætæ effectus habendus, vel mutationis quæ in renibus accidit. Annotari accuratè vellem in nephritide ipſâmet, ut ut irregularis morbus videatur, initium, progreſſum & augmentum reperiri; ita ut morbus hic omnibus aliis in eo aſſimilari queat. Præterea podagræ germanam hanc non immeritò dixere, hæmorrhoidaliumque ſymptomatum familiæ certò annumerandam; hemicraniæ nephritidem ſuccedentem ter notavi; compeſcebatur hemicrania, dum calculorum *formationi* allaborabant renes; hinc *intemperies omnium ferè viſcerum ſunt veluti confirmatæ, antequam dolores nephritici oriantur* (*a*).

(*a*) J. Cæſar Claudinus apud Manget.

OBSERV. CL. Clariſſ. Deſault calculum in veſicâ ſolvi voluit injectio-

ne *aquarum Bannieres* (a) huic assentit Clariss. Meighan (b); plurima post medicos illos super iis expertus sum; calculos aliquos solvebam ex iis qui sunt lateri similes; alii pertinaciter diuque in ipsâ fontium scaturigine in vasis detenti resistebant (c); nec quemdam latet in ipsâmet aquâ communi solvi calculos, unde multa desunt adhuc colligenda, experiunda. Morbi autem illius prophilaxis præcipua digestionis in ventriculo integritas erit; num, uti quidam putant, in lacte vis calculos solvens (d), dum Galenus se notasse ait *quibusdam ex diuturno lactis usu lapides in renibus concrevisse* (e), dumque asserit Ballonius *omni à lacte temperandum præterquam asinino in hoc morbo* (f)? Remedii *Stephens* dicti usu febrim oriundam vidi, unde suppuratio in rene altero, ægri mors; ast febris hæc ipsa num calculos friabiles aliquot solvere poterit? Ita ut lithontriptica maximè agerent febrim excitando; quod etiam *aquis nostris* proprium est. Mannæ in nephritide vis à Sydenhamio laudata, an ex mannæ virtute fundente, an potiùs ex eo quòd intestina mannæ ope benignè detergantur, motusque eorum inæquales compescantur?

(a) Differt. sur la Pierre.
(b) Meigh. loc. citat.
(c) Lettre conten. des Essais.
(d) Iames.
(e) Ballon. lib. de calcul.

OBSERV. CLI. Militem 32. annos natum, biliosum, cujus in integro ferè corpore herpes cutem exedebat, ut & mendicum horrendâ porrigine loborantem, curavit *Bannieres balneum du Foulon*, quod pro morbis cutaneis specificum habetur *. Famâ docemur leprosum *Bareges* sanatum fuisse; sua etiam super iis miracula habent *aquæ Bonnes* & aliæ.

* Bannieres testis ubi sup.

OBSERV. CLII. Nobilissimum virum in juventute effrenæ libidini deditum, infestarunt maculæ quædam subrubræ in utroque crure, versùs ætatem 60; in crustas subalbidas & squammosas desierunt maculæ; rectè peragebantur functiones; optimè se habebant gingivæ; quælibet fuerant tentata remedia; lac cum antiscorbuticis pro omni alimento, *aquas Bareges font. calidi* identidem pro potu ordinario, *balnea temperata*, frictiones aliquot mercuriales præscripsimus; hâc medelâ fugatis crurum maculis, viribusque necnon obesitate restitutis, perfectam se obtinuisse sanitatem existimavit æger; suadebamus tamen antiscorbutica hyeme adhibenda, atque cauterium, cum victûs ratione, quibus omninò neglectis, rediit anno sequenti mœstitiâ correptus, eodemque ferè morbo tentatus, quo tunc non curatus est.

OBSERV. CLIII. Herpetibus, quibus tantillùm exsiccatis ægerrimè statim laborabat ventriculus, inquinabantur clunes juvenis ingeniosissimi, melancholici, & valdè dissoluti; frustra adhibitæ fuerunt frictiones mercuriales atque remediorum omne genus; *aquæ Bareges* vix aliquid attulere solatii; his si morbus imminuebatur, vires etiam & obesitas pari passu.

OBSERV. CLIV. Herpeticum ulcus in brachio senis cachectici discussere *stillicidia* sex, totidemque *balnea Bareges*; oculus ejusdem lateris scilicet sinistri, morbo fuit tentatus die ipsâmet 6. objecta dupla apparebant, ægrumque infestabant vertigines sæpiùs recurrentes; ut suppuratio denuò, cauteriumque in viciniis stabilirentur protinùs curavimus. Tumebat autem pes viri hujus sinister fluxu pituitoso; tot diri cujusdam in pectore vel capite hospitis prænuntia!

THESIS CVI. En curam triplicem quæ manca fuit & imperfecta; an in posterum sanitas accesserit nescio; ast recidivæ tot in herpetibus accidunt, ut morbo eo nihil invictum magis videatur; ipsemet ægrorum animus angore immedicabili vulneratur; hinc morbus nimiùm confirmatur; *atrabilariæ enim mentis emotiones non sunt conducibiles* (a) præterea herpetes *difficulter submoveri possunt quemadmodum cancri occulti* (b); cicatrix enim hîc vix effingi potest, vel callositas cuti adhærere; morbus etiam hic externus

(a) Hippoc. prædic. lib. 2. cap. 7.
(a) Hippoc. prædic. lib. 2. cap. 9.

nil

nil nisi imago internæ viscerum labis. Quidam perpetuo herpete laborabat; circa diaphragmatis cum costis adhæsionem; herpes si fortè imminueretur illicò aderant asthmatis symptomata quæ brevì evanescebant suboriente denuò herpete; ad dextrum autem latus magis extendebatur quàm ad sinistrum. Mulierem vidi viscerum convulsionibus lacessitam quorum insultus solvebatur herpete ad interiora cruris dextri oriente; si collaberetur herpes, inde abdominis procella; sic oculus convellebatur in Obs. 22. ex herpetis exsiccatione; sic in Obs. 33. in clunibus dum herpes imminuebatur, stomachi angor illicò adaugebatur. Porrò non *periculosos* (c) herpetes pronuntiavit Hippocrates, quod, ni turbulenter agitentur, vero consentaneum videtur; hinc multi evanescunt dum remediorum ipsorum obliviscuntur ægri. Sine igitur herpetes sponte sua tempora percurrere, sponte cadent, quod non rarò evenit; hinc remedia quorum ope herpetes brevì imminuuntur & evanescunt, utì *aquæ Bannieres* & alia ex arte comparata, curationem directè moliri non videntur; & licet *aquis Bareges* & *Bonnes*, primò adaugeantur herpetes, neque tamen ideo nocivæ protinùs habendæ *aquæ* illæ. Hinc quæ medicamenta citò nimis herpetem exsiccant viscerum stragem minantur. (c) Hippocr. ub. sup.

Thesis CVII. In parte quâdam, glandula v. g. suppone fluxum varicosum* cum callositatum copiâ*, prætereà dolorem exquisitissimum †, pars hæc ad se transpirationem evocet*, nec desint inflammationis, suppurationis atque cicatricis * imperfectæ conamina, neque marasmoidea dispositio †, cancer erit: vix definiendus morbus, insolubilis stricti & laxi turbo*, effrænus mali hujus utriusque vortex, maxima quæ potest heberi in parte adhuc viventi complicatio, magis aut minùs evidens aut occulta. Partes in quibus *texturæ laxitas naturalis adest* (a) obsidet pestis hæc; dolorem lenientibus aggrederis? varicosa & œdematosa laxitas augetur; suppurationis & resolutionis laborem dolor idem recusat cum callositatibus; transpirationis torrens obturationi opponitur. Cauterii ergò naturalis hujus effectus primò servandus, dolor compescendus, pituitosus fluxus impediendus varicosusque, ita ut indicatio contraindicatione non vincatur. Cancer nescit habere crisim; diu insensibili modo serpit in corpore, vel ab incunabulis herpeticâ labe sæpe fovetur, tum & acerrimi ingenii pathematis; transpiratio mutatur, pellitur ad partem unicam, tumor oritur, vasa *varicosa contorquentur* (b), brevì non rarò ad tempus secundum pervenit, & ad tertium, in quo tandem plerumque oppugnatur, licet in illis nil morâ timendum magis.

* Thes. 76. * Thes. 82. † Thes. 89. * Thesis 22. * Thes. 92. † Observ. 92. * Thes. 75.

(a) Paul. Ægineta lib. 4. cap. 26.

(b) Celsus cap. 18.

Observ. CLV. Carcinomati *aquas nostras*, quolibet morbi tempore, proficuas olim sperabam (a), minora nunc promitterem. Virgini 40. annos natæ, cancro in mammâ dextrâ quæ in lapidem mutata videbatur, tentatæ, alterique religiosæ, quæ post ictum, schirro in mammâ dextrâ laboravit, nihil profuerunt *aquæ Bareges* *. (a) Lettres contenant des Essais. * Bareges 1750.

Observ. CLVI. Pro ulcere linguæ ad dextrum latus calloso, sanguinolento, & aspectu exhorrendo (tumentibus etiam parotide & glandulâ maxillari ejusce lateris) *aquis Bareges* nullo cum levamine usus est sacerdos senex, biliosus, aliàs hæmorrhoidibus obnoxius, morbosque non paucos ex bile, ut aïebat, passus, aliunde tumentibus tibiis *. * Bareges 1751.

Observ. CLVII. Infeliciter iisdem *aquis* usa est Virgo cancro aperto in mammâ dextrâ correpta, ut & alia cancro in rimas diviso in mammâ dextrâ laborans, in eâ erysipelate afficiebatur mammilla & fissuræ adaugebantur *. * Bareges 1750.

Observ. CLVIII. Cancro laborabat Puella in nasi latere dextro, tegu-

menta tantum corrodebat ulcus, fiebantque interdum crustæ albidæ & friabiles uti accidit in porrigine; ulcus adaugebant *aquæ Bareges*, & nasi cartilagines carie afficiebantur *.

* Bareges 1752.

Observ. CLIX. Valde intumuit & dehiscebat, rimulas ruberrimo colore micantes monstrans, viduæ mamma cancro afflicta, ex usu *aquarum* earumdem *.

* Bareges 1751.

Observ. CLX. Cultro mammâ mulieris excisâ, ulcus sanandi causâ *aquis Bonnes* usa est, extensum, prolatum fuit ulcus, alteraque mamma schirrodea facta est *.

* Bonnes 1752.

Observ. CLXI. Fluore albo post partum laborans nobilis mulier in Angliâ, adstringentibus usa fuit, unde dolor in uteri regione, febris & marcor, *non enim continuò supprimendus fluor hic* (a); *aquis Bareges* omni modo tentatis, hæmorrhagia quæ semper aderat augebatur, balnei ipsiusmet aquam rubro colore tinctam vidisses, quod cum aliàs experti fuissemus, minùs ex eo perterrebamur; nil tamen cura nostra conatusque profecere, mulierem hanc fato extinctam quibusdam ab illinc mensibus audivimus *.

(a) Ballon. consf. 62. lib. 1. ex Galen. & Aetio.

* Bareges 1751.

Thesis CVIII. Nihilominùs cancros ad suppurationem & cicatricem in ulceris parte majori, aquarum ope, accedentes observavi; Balnea temperata dolores certò imminuunt; an si primo tempore aquæ adhiberentur ex arte morbus hic oppugnari posset? Carcinoma in *superioribus partibus ut plurimùm reperiri* Celsus habet (a): sic Hippocrates *summas partes occupare cancros* ait (b); quod utique utplurimùm verum est; sic cancrum in latere dextro potissimùm observabis; aliquot in sinistris partibus vidi, sed multò plures in dextris; sic *Bareges* aperto cadavere mulieris, cancro in mammâ dextrâ jamdiu laborantis, pars dextra uteri schirrodea fuit (c). Corpus nostrum uti ex duabus partibus in medio, velut in axe, simul unitis fabrefactum videtur, ita lateri cuilibet corporis jura sua haud recusanda esse certissimum, quod apud Antiquiores magis quàm apud Recentiores evulgatum; sic varicosi fluxus in dextrâ parte nobis frequentiores visi sunt; sic & herpetes qui *zonæ*, vulgò dicuntur, regionem dextram sæpius obsident; sic in choreâ Sancti Viti latus dextrum magis affici contendunt viri expertissimi (d).

(b) Lib. 5. cap. 18.
(b) Hippoc. prædic. lib. 2. cap. 8.
(c) Darium
(d) M. Joann. Baptist. Basseville, Doct. Medic. Parisiens. cum patre suo Clariss. Ambiano practico.

Thesis CIX. Callositas in morbo isto num spes unica, quomodo porrò producenda foret? Cancri dicti radices quid sunt aliud quàm cicatricis ad ossa productio *? Mulierem cancrum suum hirudinum ope maximè sublevantem novi, quod denuò cum experirer non succedebat. Lacte, præsertim dum alvum sistit, non raro inflammari cancrum observavi, unde lac, alimentis aliis parcissimâ dosi adhibitis, postponendum videretur; cauteria duo vel tria ad latus corporis affectum, quæ transpirationis evacuationi faverent, num hîc emolumenti aliquid præstarent? Dorsi dolores inter symptomata cancri rectè sanè apponuntur (a); prætereà stomachum semper magis aut minùs peccare in iis expertus videbit; vomitu enim vel diarrhæis vel colicis obnoxiæ sunt; & procul dubio febris semper adest oculo videnda Medico. Ex Hippocrate (b) odoratûs sensum amittunt cancro laborantes mulieres; quamdam novi cui hoc accidit ex cancri solummodò latere, pupilla etiam oculi vicinioris summè mutata fuit & convulsione acta, auris lateris hujus hebetudo aderant cum susurro perpetuo.

* Observ. 92.
(a) James Dictionnair.
(b) Hippoc. de morb. mulier. lib. 2. cap. 20.

Thesis CX. De scrophulis alibi scripsimus (a); causam scrophularum succum nutritium habui, minùs rectè elaboratum quàm ut lamellas utì par est flexiles effingeret, unde in motuum corporis œconomiâ perversio seu scrophularum symptomata primaria; turba autem hæc primum morbi tem-

(a) Dissertat. sur les Ecrouelles.

pus ponit, quod potissimùm in pueris antequam tumores exoriantur apparet; in 2°. statu crescunt tumores, adest in corpore febrilis motus, textûs cellularis malè compositas lamellas omnes destruens; in 3°. callosi sæpe tumores facti sunt & irreductibiles; hoc autem in statu ultimo cauteria, medicamentorum privatio & regiminis ipsiusmet, quoad alimentorum qualitatem (imminutio enim quantitatis necessaria) requiruntur; in 2°. statu mercurii usus cum *aquis nostris*, Kinakinâ, & antiscorbuticis prosunt, excretoriam febrim augendo, atque dirigendo. Hinc lamellæ succi nutritii inquinatæ suppurantur, per excretoria expelluntur & ad glandulas non proferuntur. Primum statum quis castrabit? Quis gressum morbi in illo impediet? Hunc excitandum aliquandò fore putavi. Observationum decade doctrinam hanc confirmavi (*b*). Num rachitis ad scrophularum familiam pertineret? Ad ossa hîc appellunt fluxus aquosus atque pituitosus, qui in scrophulis glandulas afficiunt, adest etiam in rachitide excretoria critica perturbatio, quâ pueri liberantur, vel, ut aiunt vulgò, *se denouent*, quæ ad scrophularum tempus secundum & tertium facilè referes.

(*b*) Quæ ferè omnes sunt in Diariis.

Observ. CLXII. Puer annorum ætatis 8, cujus eminebant oculi tumebatque caput, & qui solito majori ingenio pollebat, gibbosus factus est ad vertebras lumbares inversâ spinâ; tumebat venter, emaciabantur extrema corporis, plurimùmque angebatur æger dum ambularet: *Balneis temperat. stillicidio*, potuque *aquarum Bareges* intra 15. dies ferè omninò evanuere symptomata, prostratæ recuperabantur vires, sanitasque perfecta speranda videbatur. Ad spinæ dorsalis partem infimam, tantâ tenebatur debilitate puellula, ut motu prorsus orbarentur crura, motum iis aliquatenùs impertitæ sunt *aqua Bareges* *. * Bareges 1751.

Observ. CLXIII. Gonorrheâ virulentâ à 15. diebus phymosi cum præputii inflammatione, dolore vividissimo, & urinarum fluxu difficillimo, laborabat juvenis plebeius; bis celebrata fuit venæsectio; lactis usum recusavit stomachus; pro ptisannâ, me consulente, *aquam Bareges* hausit, (erat enim fortè in fontium vico), intra biduum composita fuere symptomata, pus laudabile fluxit, tuncque adhibitis *balneis temperat.* atque *stillicidio*, consopita sunt dolor & erectio, laxatoque præputio apparuit glans scatens ulcusculis, vulgò *chancres*; medelà eâdem perstante cicatrix in illis accessit, tum membranam dartos infestarunt calli plurimi lentium figuram referentes; id temporis à *Bareges* discessit æger; tribus elapsis mensibus hunc *Pali* videbam, sedulòque perspiciebam, omnia penitùs symptomata evanuerant *. * Bareges 1752.

Observ. CLXIV. Testiculos juvenis infestavit gonorrhea virulenta, necnon suppuravit eorum alter, inunctiones mercuriales noluit adhiberi æger, ipseque *aquam Bonnes* pro potu ordinario lacteque bis in die usus est; bolos panaceæ mercurialis post 15. dies respuit, ulcus injectionibus, & lotionibus ex *aquâ* eâdem curatum est; absoluta cicatrix, exaruit fluxus seminis & puris, atque jam tunc perfectâ potitus est sanitate juvenis. Sic alium curavere *aquæ Bareges*; hunc cum testiculorum ulcere necnon gonorrheâ virulentâ insanatum reliquerant frictiones locales atque boli mercuriales per tres menses vorati *. * Bonnes 1752.

Observ. CLXV. Balneorum *Bareges font. la Chapelle* & *de l'Entrée* usus, ipsarumque *aquarum* potus cum lacte permixtus, juvenes duos gonorrheâ virulentâ cum inflammatione correptos maximè sublevarunt; fluxus celeriter tempora sua percurrebat, à mercurialibus quibuslibet sese abstinuere, utrumque anno à curatione hâc elapso vidi optimè valentem *. * Bareges 1751.

Observ. CLXVI. Mulierem, quæ annos 12. degerat cum marito qui hoc temporis ſpatio ter lue venereâ fuerat correptus, infeſtabat à ſex annis fluor albus, forſan venereus, aderat enim urens doloris ſenſatio cum nympharum exulceratione abſque dorſi dolore & gravitate; perſtabat fluor præſentibus menſtruis, nuncque albus, nunc flavus, nunc viridis lintea inquinans; *potum aquæ Bareges fontis la Chapelle, fontis calidi* vulgò *la Royale*, lactis uſum matutinis horis, *balnea*que *temperata fontis de l'Entrée* præſcripſimus, imminuta fuit gonorrhea, quæ demum planè ſiſtebatur*.

* Bareges 1752.

Observ. CLXVII. Papulis ulceribuſque coopertus eſt puer bimus, cujus mater lue venereâ à marito fuerat infecta; hæc binis bubonibus, ptiſannæ ſudorificæ uſu bolorumque mercurialium, curata fuerat; tumuit mammarum altera, atque in eâ apertum eſt ulcus, poſt tumorem quem lacteum crediderunt, *potus* & *balnea aquæ Bonnes* cum frictionibus boliſque mercurialibus, puero matrique præſcripta fuere; *aquis* tantùm & *balneis* utebantur, ſanitatiſque habitum ſpecioſiorem obtinuerunt*.

* Bonnes 1752.

Observ. CLXVIII. Bubone venereo aperto & ſuppurante laborabat libidinoſus quidam, neglecta fuit hydrargyroſis; intra tres dies ter inebriatus eſt æger, tuncque ſiccatum eſt ulcus, tumuerunt magnoperè omnes colli ejuſce lateris glandulæ, imprimis parotis oriſque interiora, ita ut gingivæ palatique velum putrida viderentur; ſuppuravit oris tumor medicamentis ſolitis, remiſſâque febre reſtituta fuit bubonis ſuppuratio: oris ulcus, bubo atque glandularum tumor uſu *aquarum Bonnes* evanuerunt; jam tum optimè valere viſus eſt æger*.

* Bonnes. 1752.

Observ. CLXIX. Extremarum corporis partium dolores vividiſſimi, herpetes in cutis pluribus locis, tuſſis cum ſputis *mucoſis* & reſpirandi difficultate, virum ter olim gonorrheâ virulentâ correptum, irregularique methodo curatum infeſtabant; à lue venereâ hanc ſymptomatum catervam oriri ſuſpicantes *aquarum Bonnes potum* & *balnea*, veluti præparantia, præſcripſimus; hâc autem ope unicâ cuncta evanuerunt ſymptomata, fueruntque reſtitutæ vires, ita ut æger mercurium in uſum adhibere noluerit*.

* Bonnes 1752.

Observ. CLXX. Hydrargyroſim malè adminiſtratam bis incaſſum expertus erat vir libidinoſus & melancholicus, lue venereâ laborans; cancros venereoſque bubones ſecutæ ſunt exoſtoſes duæ, (una nimirùm juxta ſupercilium ſiniſtrum, altera ſuper ſterno cum ulcere) genu lateris ſiniſtri œdematia, dolores nocturni vividiſſimi, macies viriumque proſtratio, ac denique jecoris & lienis tumor durus & indolens, atque diarrhea cum febre; ſic ægrotabat cum adivit *Bareges*; abjectum ventriculum recreare primò curavimus; 5ª. ipſâ die ex *potu aquæ font. calid.* lac cum *aquâ* permixtum non ægrè tulit; quia autem ſemper frigebat æger balnea tepida proficua fore cenſuimus; hæc inſomniam adauxere, febriſque recruduit, expectantes quieſcebamus nec ultra progreſſi ſumus; aliquatenùs fuerunt reſtitutæ vires, imminutæ exoſtoſes, genuque œdematia, in ulcere cicatrix vegetavit, dolores fermè evanuerunt, neque tactu ab *octavo balneo*, jecoris & ſplenis tumorem ampliùs percepimus; cætera in eodem perſtiterunt ſtatu; ob imminentem hyemis tempeſtatem mercurium adhiberi noluimus*.

* Bareges 1751.

Thesis CXI. Hæc hiſtoricè narrata ſunto, nec dicant nos morbum venereum *aquarum noſtr.* ope curari contendere; id enim neque putamus, nec proponimus; aſt quæro, quod quærere ſanè licet, an ægroti omnes de quibus mentio facta fuit, * venereo morbo laborare putandi ſint? Quid ſi mercurio uſi fuiſſent? Num dubium idem remaneret? So-

lus & unicus mercurius, num antisiphiliticâ virtute pollet? Num demum omnimodè inconcussa manebunt effata hæc? *Nullo alio præter mercurium medicamento morbus venereus curari potest; mercurius nulli alio morbo, præter morbum venereum, prodest.* Num morbi vires, mercuriique jura in posterùm determinanda rectiùs fore sperandum? Morbus autem hic modo suo contagiosus, in progressione assimilari posse vulneri videtur; serpit enim à parte in partem, irritationeque quaquaversùm extenditur in tempore primo; irritationi huic postea succedunt tumores, ulcera, inflammationes aliquot, demumque partes omnes inquinantur ad ossa usque, unde tempora duo morbi ultima sæpe miscentur. Cellulare organum morbi sedes præcipua erit, in eo serpit veluti caries in ossibus; hinc naturæ viribus excitari non potest excretoria perturbatio generalis, cui favet mercurius; hinc hydrargyrosis, nil nisi febris species dirigenda juxta severiores artis leges: *hydrargyro enim tanquam vecte quodam ad amoliendum convellendumque utimur* (*a*). An verò *aquis nostr.* crisis febris hujus spontè excitari possit, an saltem usus earum maximè mercurii applicationi favere queat? Ulteriori indagine perpendendum relinquamus; id unum annotantes scilicet *aquis* etiam *nostr.* jura sua non recusanda, in morbis vesicæ vel urethræ, qui callositates partis hujus vocantur, observatio super iis confirmavit quæ analogia docet (*b*).

(*a*) Ballon. consil. 2. lib. 2.

(*b*) Plura super habent D. Bentejac & Duco famigeratiss. Chirur. Bareges.

THESIS CXII. Maculæ purpureæ vel livescentes, præprimis ad extrema inferiora corporis, gingivarum rubor, tumor atque mollities, faciei tumor aut horridus livor, viscerum abdominalium dolores irregulares atque membrorum, marcor totius corporis aut œdematia, hæmorrhagiæ variæ ex cavitate quâlibet, virium debilitas, viscera contentis turgida, pulsus irregularis valdè, hæc omnia magis aut minùs sibi mutuò auxiliantia, *scorbutum* hodie audiunt; in ulcera maculæ prætereà degenerant, retrahuntur summè anus & umbilicus, fætore inquinatur os, urina vehit rubra, crocea, nigrave aut fusca: morbus hic partes omnes labefactare potest, huic etiam natales præbet morbus omnis malè judicatus. Scorbuti natura, genium, indoles, atque progressus forsan patebunt ex partis peculiaris scorbuto affectæ sedulo examine. Exemplo sint v. g. hepar aut lien. Omnium in confesso habetur viscera hæc, in scorbuto defunctis, spongiosa, mollia, tumida sæpe reperiri, & facili negotio lacerabilia, tum & facilè dum sui sunt juris ad putredinem vergentia; quæ verò in ipsis acciderint, ut sic mutarentur docet analogia. Memini Kerkringium hepar ex equo cursûs labore demortuum extraxisse, idque viscus facillimè in putrilaginem versum; Riolanus econtra hepar ex homine extractum multis diebus servabat, quin putresceret, unde Kerkringii observationi Riolano nulla fides (*a*); porrò Riolani observatum nullus negavit; ast Kerkringio etiam fides habenda; equi enim hepar contritum, maceratum, in echymosim versum fuit cursûs opere; hepar autem & cætera viscera in scorbuto sic se habere verosimillimum; carnes animalium tenerrimæ fiunt cursu, succussionibus, motibus quaquaversùm distractæ; atqui hæc cæteris paribus in scorbuto obtinent; paulatìm enim frangentes & lacerantes partium omnium structuram vires haud desunt, quod sic probatur.

(*a*) Vid. Bonet. sepulcret. de hepate.

THESIS CXIII. *Dolores hysterici ubi discesserint, teneritudinem quæ tangi recusat relinquunt, ac si fuissent verberatæ carnes* (*a*). *Damisellæ efflorescebant aliquando in toto corpore pustulæ nigræ; cæpit ista eruptio, cum annos undeviginti nata, decussa equo, humi prostrata, sanguinem ore rejectavit; credibile internam fuisse*

(*a*) Sydenham. process. integr.

sugillationem & echymosim, cujus est soboles efflorescentia pustularum, quæ aliquandò peculiarem diathesin partis sequitur, velut in Terminthe cui pustulæ in febre apparuerunt in tibiis, ex eo quòd sublienosus esset, inquit Hippocrates, Epid. lib. 2. sect. 2. (*b*). En scorbuti graphicè depicta causa vera, continens, essentialis, & Medico perpendenda *. Imò nullus nescit scorbuticos hystericis & hippocondriacis symptomatibus maximè obnoxios; indesinenti tractu, succussionibusque indeterminatis partes, viscera, corpus omne cellulare, pulposa vascula molestantur; nodis velut infinitis constringuntur; unde collabuntur & malè nutriuntur, flaccida fiunt; hinc variæ series echymoseos, callositatum & constrictionum effinguntur in partium perenchymate; nullâ securitate, ordine nullo fruuntur viscera, indeque fluentes oscillationes mancæ omninò; *verberata* haberi debet quælibet partis fibrilla. Hinc patet scorbuti primum tempus, status primus. Partes demùm collabuntur, vascula non continentur, nec viribus aguntur, in remotissimis à corde anfractibus, præprimisque in spongiosis textûs cellularis loculamentis plethoræ, humorum quies, tumores irregulares, vel maculæ quæ nil nisi echymoses à causâ internâ, hæmorrhagiæ, fluxus irregulares gingivarum, viscerumque omnium mollities, verbo scorbuti tempus secundum; cui brevì fluxus in cavitate omni coporis, viscerum immedicabilis labes, suppurationes atque ulcera & gangrenæ succedant necessum est, unde tertium scorbuti tempus, plurimorum morborum finis, cum morte sæpe mutandus. Adest enim perpetuò febris veluti suffocata, nullam potens habere excretionem aut crisim.

(*b*) Ballon. epid. lib. 1. pag. 98.

* Thes. 32.

THESIS CXIV. Pulsûs in morbo illo constrictio, irregulares motus *Eugaleno* apprimè depicta, motuum in corpore inæqualem distributionem denuntiant. Dolores in cruribus familiares, difficillima quandoque purgatio in scorbuticis, aut sensationis teneritudo, viscerum inordinatas oscillationes probant. Gingivæ demum hic constrictæ, illic molles, callosæ atque flaccidæ simul, in visceribus haud disparia accusant phœnomena. De ani & umbilici retractione quid colligendum? Certò diaphragma ad superiora ferri cum hepate, cujus ligamenta umbilicum intrò trahunt: quoniam etiam colon ex eo ad superiora vergit, hinc anus intropellitur. Est igitur in visceribus abdominis incuneata, impacta labes scorbutica, *sic omnium simul vitiorum conversio cachexia* (*a*); *intestinorum adest difficultas continua; causa est ab exercitationibus quies, ab ingentibus laboribus otium; nutricatio non perficitur, neque optimus neque boni coloris sanguis procreatur; malo habitu usque ad ventriculum grassante* (*b*).

(*a*) *Scorbutum* nunc quidam dicere amarent.

(*b*) Vid. Aretæum de diuturnor. affect. causis cap. 16. multaque à Recentioribus exscripta reperies.

THESIS CXV. Neque dubitandum in morbo illo massam humorum variè mutari, ast mutationes illæ observatione edocendæ sunt, non verò fingendæ, verborum nec ambagibus obscurandæ, neque, ut ita dicam, *divinandæ* (*a*); atqui in scorbuticis sanguis sæpe albuminosâ materie expoliatur, ita ut hinc *dissolutum* clament sanguinem eum; succi autem nutritii privatio hæc sanguinem ponit, inertem veluti castratum, ut potè quòd succo, quo partes apprimè inter sese adhærent, exspolietur; exspoliatio hæc in scorbuto effectus erit malè digestione fungentis stomachi, vel labes venarum lactearum, quæ chylum malè sugunt, aut materiei transpirationis copia sanguini immixta, succique alibilis coalitionem & præparationes impediens, ita ut quod in marasmo id etiam & in scorbuto accidat; & adest sanguinis partium integrantium pejor miscela quæ fieri potest; quoniam excrementa retinentur, quasi dolium vino plenum agitaretur fexque vino misceretur, quod motui solummodò tribuendum. Confitentur sapientiores spontanearum humorum mutationum asseclæ, *scorbuticæ affectionis naturam prorsus incognitam, quoad esse, quoad origi-*

(*a*) Vid. §. V.

nem & modum agendi in corpore (*b*). Vix intelligantur aliqui, dum præscribnnt esse in scorbuto *temperandam acrimoniam in genere & specie.* Num scorbuti nomenclatura, vel & natura terminis circumscribi possent & deberent? Morbus omnis ferè chronicus scorbutum audit pluribus, dum alii existentiam ipsammet ejus morbi negarunt (*c*). Qui morbum omnem antiscorbuticis curabilem pro scorbuto habebit, Ipecacuanhæ quotidianos effectus, totidem dysenteriæ curas habeat oportet, &c.

(*d*) James Dictionn. de Medecin. *scorbut.*

(*e*) James loco citat.

Thesis CXVI. Ad scorbuti curationem quod spectat, num antiscorbutica, qualia spontè natura in vegetabilibus aliquot præbet, & quæ mucosâ substantiâ ditantur cum condimento, ex eo præcisè scorbuto favent, scilicet ex eo quòd alimentum præbeant quod *alacilnæ materiei* consociatum, vias chyli aperiat & vascula torpescentia suscitet, & nutriat? Minerales aquas Hofmanno novimus multùm commendari, etiam in scorbuto confirmato; eas in primo statu, vel primo tempore morbi hujus favere, ut sistatur vel mutetur putamus; 2°. & 3°. nocere posse minerales *aquas* timemus; nulla enim hîc excitari valet critica perturbatio quin viscera dilacerentur; ter scorbutum vidi cui *aquæ Bannieres, Bareges, & Bonnes* lethales fuere. Jure igitur & meritò scorbutus inter morbos dubios * nobis annumerandus, dubios quoad naturam vel definitionem, descriptionem, aut diagnosim, & quoad curationem; unde ignota hæc labes extendi, morbis omnibus applicari non posse videtur; scorbutum enim cum *Bontekōe* v. g. morbum omnem appellare, idem est ac si diceretur ignotus est morbus omnis; juvat potiùs scorbutum ignotum, notissimis quantùm fieri potest explicare, & symptomata quæ scorbutica habentur ex morborum cognitorum naturâ dilucidare; quid proinde scorbuto supererit?

* Thes. 95.

V.

MORBUS unus est, unica existit curatio; morbus enim omnis, excretionis labor habendus, quem, dum sanabilis est, excretio solvet. Principium illud, systema vel *ideam* (*a*) perpetuò meditari oportet: secus nil proficies: singula enim nullâque ex parte connexa dogmata, vera licet, vix prosunt; Remediorum saltem usus, applicatio, effectus nullo præsidio meliùs nosci valent, quàm ex symptomatum syndrome, comparatione, concatenatione; exinde *aquarum nostrarum* nunc explicanda remanet vis & actio, quâ morborum excretionibus favent vel nocent; hinc forsan leges assignari poterunt quas non recusabit mens sana, documenta indeterminata nimis respuens.

(*a*) Verbum familiare Ballonio.

Thesis CXVII. Instituti autem nostri ratio, (quod apprimè notandum), solummodò postulat, ut *aquæ nostræ* perpendantur, *aquæ* inquam *Minerales AQUITANIÆ*; neque enim inquirere nostrum est, an apud exteros, aut in Galliæ tractu Minerales aquæ eâdem vi pollentes reperiantur; an & quo usque aqua ipsa pluviatilis aut fontana, calida vel frigida, curationem morborum operetur, veluti aquæ Minerales nostræ & aliæ; an morborum curationes allatæ (*a*), aliis auxiliis fieri possint, juxta leges artis; an demum *aquarum nostrarum* commoda cum incommodis ponderanda forent, ut exinde methodus generalior, certiorque haberetur? Hæc omnia, atque ex ipsis oriunda aliquot problemata, nil ad nos, eo loci. Determinandum porrò quo modo, quâ vi, quâ *energiâ* aquæ nostrates in corpus agant, & quæ ad earum administrationem spectant, cautelæ, præparationes, &c.

(*a*) In §. 2. 3. 4.

Thesis CXVIII. Vis aquarum Mineralium ex effectibus in corpore demonstratur, & ex miscelâ cum humoribus, carnibus, &c. *Bannieres* aquæ non rarò purgant, dosi solitâ epotæ (*a*), quod aquis *Bonnes* & *Bareges* rariùs evenit,

(*a*) Vid. infra Thes. 132.

alvum enim adſtringere ipſis non inſolitum. *Aquæ Cauterès* & *Chaudes* multò minùs quàm aquæ *Bannieres* alvum laxant, paululùm magis quàm aquæ *Bonnes* & *Bareges*. Nullæ non movent urinas, aquæ *Bannnieres* copioſiùs, tum aquæ *Cauterès* & *Chaudes*, deinque *Bonnes* & *Bareges*. Ultimis iis pulſus vividè micat, inſomnia non levis quandoque exoritur, cutis magis aut minùs madefit, quod etiam aquæ *Bonnes* operantur, certiùs quàm aquæ *Bannieres*; aquæ *Bannieres* corporis totius ſuccuſſiones leves excitare queunt etiam in robuſtioribus, & caput gravare ſolent, minùs tamen quàm aquæ *Cauterès* & *Chaudes*; habent enim *Cauterès* potiſſimùmque *Chaudes* peculiare aliquid, quo, ut aiunt, *caput afficiunt*; ſæpiùs quàm aliæ *inebriare* dici poſſunt. Omnium uſu appetitus ventriculi adaugetur; corpus lætè functionibus vacat. Vix vomitum excitare dici valent, ni adſit ad *emeſim* diſpoſitio facilis. Hæc in ſaniſſimis collecta profero. Nec latet potum mediocrem, balnea aliquot in bene valentibus multis, vix aliquam mutationem afferre; aſt quæ ut plurimùm accidere viſa ſunt collegimus. Potus *caffé* cum aquarum noſtrarum, exceptis aquis *Bannieres*, potu non malè conferri poteſt (*b*).

(*b*) Calend. pater ubi ſupr.

Thesis CXIX. Ægros valetudinarios, & quorum organa quædam naturâ vel alio modo peccant, ſi perpendas ſedulò, multa diſces circa vires aquarum. Quorum pectus debilitate afficitur proximâque vel remotâ ad catarrhos propenſione, ipſis aquarum *Bannieres* uſu reſpiratio allaborat, thorax ſtringitur magis aut minùs; aquæ verò aliæ pectus dilatare, emollire ſæpe videntur; aquæ *Chaudes* & *Cauterès* paululùm minùs quàm *Bareges* & *Bonnes*; hinc ultimæ illæ, ſcilicet aquæ *Bonnes*, expectorationem non raro movent & bechici aliquid præ ſe ferunt, quod aquis *Bannieres* præſertim denegandum, niſi per accidens ſputa moveant abdominalia viſcera irritando. Qui icteris levioribus obnoxii ſunt atque bili, ut loqui amant, citò ſatis aquis *Bannieres* allevantur, minùs aquis *Bareges* & *Bonnes* quàm aquis *Cauterès* & *Chaudes*. Quorum urinæ non rectè fluunt, magis ſaltem primis curationis diebus moventur *Bannieres* quàm alibi, minùs *Bonnes* & *Bareges* quàm *Cauterès* & *Chaudes*. Cutem ſudoribus obnoxiam facilè madefieri ſperandum aquis *Bareges* & *Bonnes*, paululùm minùs aquis *Cauterès* & *Chaudes*, aquis *Bannieres* exſiccari timendum. Alvus dura ſaltem ad tempus, aquis *Bannieres* emollitur certiùs quàm alibi. Quorum caput & pectus facilè excandeſcunt, ruboreque afficiuntur & calore, *vaporibus aſcendentibus*, ut aiunt, ſymptomata hæc *Bannieres* citiùs imminuuntur quàm alibi, aquis *Bareges* ad tempus adaugeri non mirandum, curationis verò progreſſu aquas *Bannieres* hæc ſymptomata adaugere uti non rarum eſt obſervatu, ita explicatu haud difficile, ex dictis atque dicendis.

Thesis CXX. *Styptici* aut *auſteri* aliquid habent aquæ *Bannieres*, unde linguam exſiccare videntur & guttur aliquatenùs ſtringere; aquæ *Bareges glutinoſum dulce* palato ſapiunt, narium poſterioribus atque gutturi *nauſeoſum*, tum & ſacchari acido immixti veluti *miculam*, juxta quoſdam, vel etiam ſanguinem. Aquæ *Bonnes* ſerum lactis non malè guſtu æmulantur, à *ſtricturâ* aquarum *Bannieres* remotiſſimæ, cæterùm, *limum*, aut hepar ſulphuris, pulverem pyrium, aut ova coctione indurata redolentes, veluti aquæ *Bareges*; aquæ *Cauterès* & *Chaudes* magis guttur irritant & exſiccare videntur quàm aquæ *Bonnes* & *Bareges*, cæterum eodem odore præditæ. Ad tactum quod ſpectat, *Bannieres* aquis, aſperitatis paululùm acquirit cutis, nullam aſperitatem aut non majorem quàm ex aquâ communi acquirit Mineralibus alteris. Calorem aquarum *Bannieres* ſiccitatis aliquid habere diceres, ſudor earum vi ortus,

ſudori

sudori ex motu & ex cursu satis æquiparandus ; dum aquæ *Bareges* & aliæ sudorem movent, sudori excretorio critico, cum cutis aliquali *rarescentiâ*, similem. An aquæ *Bareges*, *Bonnes*, *Chaudes* & *Cauterès*, *oleosæ*, *unctuosæ*, *Lubricæ* haberi queunt, veluti levissima saponis, *dissolutio*, contra verò aquæ *Bannieres*, *asperæ*, *macræ*, *siccæ*? Alibi (*a*) affirmavi, posteà dubitavi; experimentis enim sæpissimè institutis edoctus putavi, calorem pro lubricitate fortè assumi posse; ipsa etiam aqua communis calida, vel tepida digitum lubricare videtur, non minùs quàm aqua *Bareges* & aliæ; aliunde aquæ *Bareges*, *Bonnes*, *Chaudes* & *Cauterès glareas* deponunt, vias ipsis induunt (quidquid demùm fuerint glareæ illæ), aquæ *Bannieres* terram siccam & asperam deponunt; undè aquæ *Bareges* digitos *muco* induere posse viderentur; dum aquæ *Bannieres* sabulosas lamellas linquerent; unde hæ *asperæ*, illæ *lubricæ*.

(*a*) Lettres contenant des Essais, ubi sup.

Thesis CXXI. Canones practicos alibi exaratos (*a*), hîc exscribam, firmiorique nunc voce proferam, quales aliquot ab expertissimis in aquarum nostrarium administratione Medicis excerpsi, alios ex observationibus propriis colligens, & ex Autorum monumentis. Canonem si vel unum Patriæ dicaverim, cui artis Magistri assentiantur, satis mihi erit. 1°. Aquas *Bannieres* diureticas, purgantes, *tonicas* habeto: 2°. aquæ *Bonnes* bechicæ, aquæ *Bareges* diaphoreticæ: *relaxantes* utræque sunto; 3°. aquas *Cauterès* & *Chaudes* veluti medias inter aquas *Bannieres*, *Bonnes*, & *Bareges*, easque stomacho potissimùm dicatas judicato. Ast generaliora hæc dogmata explanare juvat, & ne in verbis hæreamus, quid sit in corpore viventi *tonicum*, quid in eodem corpore *relaxans*, apprimè placidèque definiendum.

(*a*) Ibid.

Thesis CXXII. Pars quælibet (musculus vel aliud organum) dum ex *molli*, *flaccidâ*, debili, tumidâque, facta fuit *dura* & *valida*, *tonum* recuperasse dicitur; dum anteà *exsiccata*, *dura*, *tensa*, flexibilitatem, in motibusque facilitatem posteà acquisiit, *relaxata* fuit; ast quo modo, quo mechanismo mutationes illas accidere putandum? *Toni* recuperatio partis & vasculorum actionem, fibrarumque exercitium, cum exclusione aquæ partem gravantis, supponit. In *relaxatione* fibrillæ & vascula quæ ad se se nimis accedebant separata fuere, horum vis & actio ad æquilibrationem naturalem seu ad *libellam* denuò rediere. *Toni* igitur & *relaxationis* redintegratio in parte, nil aliud erit nisi ad statum naturalem subjectoque proprium reductio; ut enim tonus parti accedat, medicamentorum ope, deesse priùs debuit qualis nunc existere potest; ut pars *relaxetur*, *relaxatio* necessaria est qualis nunc procurari queat. Quis in corpore senectute confecto partes *relaxare* sibi proponeret, & ad pueritiæ statum reducere? Quis medicamentorum vi puerorum partes senum partibus similes reddi posse affirmaret? Porrò hæc utcumque minima, cunctis facilè intelligenda sufficient, ut multorum de fibrarum vi, tono, laxitate, morbis, doctrina judicetur.

Thesis CXXIII. Medicamenta num valent fibræ peculiari & unicæ, fibræ primæ *tonum* impertiri atque *laxitatem*? Imò quidem. Ast ut hic obtineatur effectus, fibræ moles, structura, constitutio, num mutari debent? minimè; contractio enim vel laxitas in musculo fibrarum motum solummodò mutant, non verò constitutionem aut structuram, vel naturam. Porrò structuræ mutationem hanc impossibilem (fibrâ naturam non mutatâ) suadet analogia ex elementis, quæ immutabilia sunt. Fibra magis aut minùs impedita erit, virium suarum faciliori vel difficiliori exercitio donata, neque tamen exinde constitutio vel compages mutabitur (*a*). Prætereà medi-

(*a*) Vid. infr. Thes. 134.

camina vix fibras primas attingunt, aguntque solummodò in organa composita, nullaque forsan virtute pollerent, si organa hæc composita deessent. In *callum* mutari fibras inquient, spiritûs vini v. g. applicatione; nil dubium hercle; ast *callositas* hæc tensioni medicabili in fibrâ viventi vix æquiparanda, ipsa enim *callosa* exactè fiens, ex eo naturam amittit, veluti albumen ovi coctum. Escarram in vulneribus spiritûs vini applicatione produci num vides? Escarra corpus extraneum est. *Relaxatio* autem aliquatenùs fovetur ab aquæ in fibrarum interstitiis præsentiâ, rigiditas ab aquæ absentiâ: ast ex eo *relaxatio* & *tonus* superiùs definita, precisè non oriuntur *. (* Thes. 122.)

Thesis CXXIV. Aquæ igitur *Bannieres* in partibus virium naturalium fluxum reparantes, *tonum* ponunt; aquæ *Bareges* partem *laxant* virium fluxum eundem restituendo; *relaxationis tonique* additionis finis seu scopus idem. Causæ effectuum horum si inquirantur ab assumptis interiùs aquis inchoando, in primis viis maximè mutationes accidere, quæ ad partes alias extendantur, putarim. Fac ab aquarum præsentiâ in stomacho eadem evenire, quæ morborum sympathicorum causis alibi applicata sunt *; (* Thes. 49.) stomachus atque viscera alia aquarum pondere, mole, calore, salibus irritata, motus ineunt insolitos corpus omne irradiantes. Hinc primò sæpè purgant aquæ *Bannieres*, tumque vires aut fibrarum oscillationes ad interiora dirigendo, ab exterioribus ipsas evocant, humoresque ad intestina pellunt, ex eo certè multis profuturæ incommodis. Aquæ *Bareges* & aliæ raro purgant, ast viscera agendo placido aliquali motu, ad exteriora vires pellunt, febriles motus præbent (quod aquis *Bannieres* certò non recusandum). Hinc cutis v. g. turgida, œdematosa, flaccida, aquis *Bannieres* apprimè excitatur, quoniam fibrarum motus ad interiora vertitur, unde *tonus* posteà partium omnium vel motuum libertas augetur. Febre, quam aquæ *Bareges* accendunt, minimæ fibrillæ succutiuntur, excitantur, ad *libellam* moventur, unde *laxitas* partium torpescentium, dummodò desit *callositas* perfecta; tunc enim suppurationis vel resolutionis labor * oritur, (* Thes. 93.) verùm enim verò *relaxare* sæpè resolvere est *. (* Thes. 56.) Aquis *Bareges* quî cicatrices aperiantur, quî cicatrices inducantur, exinde non malè colliges; plethoram succi nutritii excitant aquæ illæ, quoniam fibrillæ ad profundiora textûs cellularis agitant, ipsiusque febris excretioni præsunt, uti dictum est *. (* Thes. 92.) Aquæ *Bannieres* quatenùs purgant, visceraque vividiùs excitant, & ad excretionem movent, succum nutritium evacuant, cicatrici non favent, nisi quandoquè per accidens, dum scilicet turget aqua in textu cellulari. Aquæ etiam *Bannieres* pectus non raro irritant à vi illatâ primis viis, vel adaucto in intestinis motu quo pectus molestatur *. (* Thes. 49.) Aquæ *Cauterès* & *Chaudes* caput infestant, intestina & ventriculum aliquatenùs convellendo & corroborando, febrimque veluti *Bareges* excitando. Virtus bechica aquarum *Bonnes* iis omnibus intermedia erit; prætereà non deest aquis illis aut mineralibus earum partibus, in nervos intestinorum peculiares actio, ex quâ gastricorum nervorum determinatâ irritatione, genus omne nervosum organaque peculiaria peculiariter aguntur, quod cuilibet medicamento modo suo proprium est (*a*).

(*a*) Reecherch. Anatomiques sur la position des Glandes, &c.

Thesis CXXV. Aquarum in sanguinem per vias lacteas transmissionis oblivisci nefas. Urinarum copiam in aquarum potatoribus adaugeri nullus dubitat; urinæ copiam cum epotâ aquâ mensuravi; copia hæc aquæ epotæ quantitate quandoquè major, sæpiùs sat æqualis, raro minor, ni sudor adsit, purgatio, aut aliqualis ptyalismus; prætereà urinam hanc omnem sanguinis vias permeasse jamdiu à multis, post Willisium, (*a*) non immeritò dubitatum

(*a*) Tractat. de urinis.

eſt; videtur enim aqueus vapor quo perpetuò viſcera madent ad veſicam per poros transferri poſſe, non ſecus ac liquor in inteſtinis ipſiſmet contentus. Verùm mineralis aqua, ſi omnis ad ſanguinis vias tranſmittatur, num mineralia ſua ſe cum vehat valde ambigi poteſt; in viſceribus enim minerales aquas *digeri*, *diſſolvi*, *decomponi* ſuſpicandum, vel ex eo quod earum multæ excrementa nigricante colore inquinant, &c. forſan igitur defæcata & ſubtilior aqua ſolùm lacteas vias ſubit. Mineralia qui ad ſanguinem tranſvehi contendet, ſaltem, à ſalis Glauberi & marini minimâ quantitate, effectus ferè nullos produci fateatur neceſſum eſt; ſalis enim marini, tum & Glauberi, aut ſalium *terreorum* quantitas major in prandio uno ſæpè aſſumitur, quàm in mineralium aquarum (ſaltem noſtrarum) per dies quatuor potu. Aquarum igitur *ſpiritus*, *gas*, (quidquid ſit) ad ſanguinem transferri dicendum, & ad organa quæ excitat; neque per circulationis vias duci ſe pati putandum; meandros poroſque partium tranat, veluti medicamentis quibuſdam accidit, iis v. g. quæ Epigaſtrio applicata purgant, &c. Utut ſit urinas quæ ex aquarum mineralium uſu excernuntur rectè Medicus diſtinguat velim, vel quatenùs primis potûs diebus matutiniſque horis excernuntur, vel in curationis & diei cujuſlibet fine; iſtæ enim verè *renales* urinæ, excretoriæ, criticæ, reſolutionum materiem vehunt, & excrementa ab aquis excitata, ex quibus, dum apprimè demonſtrabuntur, præclara multa docenda fore ſperandum.

THESIS CXXVI. Aquarum, inquient, in ſanguinem vis & actio plurimi faciendæ; aquarum præſertim Mineralium uſu ſanguinem *lavari*, *dilui*, *ſalibus expoliari* quis non audivit, quis non pronuntiavit? Receptiſſimum eſt ſanguinem aquis *dividi*, *vehiculum obtinere*, *fluxiliorem* fieri & per vaſa *meabiliorem*, eò præſertim magis quò antea *ſpiſſior*, *aridior*, *obſtructionibus* obnoxius magis erat. Contendunt etiam *menſtruali* vi pollere aquas, ſaltem aliquas, quâ lympha & ſanguis *ſolvuntur*; hinc *glutinoſa* & *torpentia perfringuntur*, undè *aperitiva* vis & *deſobſtruens*. De verbis autem hic primò agendum: quid erit humor *ſpiſſus diviſus*? Quid eſt *inſpiſſare* & *dividere* humorem in corpore viventi? Exemplo ſit aqua. Aquam vel partes ejus primarias integrantes *inſpiſſari* poſſe & *dividi*, quin deſtruantur, quis Chimicus contendet? Mixtorum particulas primarias, horum elementa ſecundaria æqualia haberi conſtat & immutabilia, ni mixtum deſtruatur; undè primariæ aquæ particulæ nec *dividi* poſſunt, nec *inſpiſſari*, quod etiam in partium congerie obtinet; aquæ enim conglaciatæ partes non *inſpiſſantur*, ſed quieſcunt. Albumen ovi humoribus noſtris omninò æquiparandum, quomodò *dividi* vellent aut *inſpiſſari*? Dum concreſſit caloris coquentis ope, tum naturam illud amittere veroſimillimum, nullâ enim vi coctum albumen albumini incocto aſſimilari omninò poterit, undè ſi lympha vel mucus ſic *concreſcat* in corpore, quod reverà accidit *, vix *dividi* denuò poſſe ſperandum, quod cruori & aliis ſanguinis partibus applicandum. Verbo dicam, ſanguis omnis in animali omni, ejuſdem molis, conſiſtentiæ, vis eſſe putandum. Neque poſſunt elementa hæc ſecundaria *inſpiſſari* aut *dividi* quin deſtruantur. * Theſ. 30.

THESIS CXXVII. *Maſſam* verò humorum vel eorum in corpore *molem*, peculiare aliquid habere in quolibet individuo neceſſarium, quoniam *idioſyncraſia* * ad humores ipſos pertinet, uti patet lactis exemplo. Hinc partes humorum à majori aut minori aquæ quantitate ſeparantur, aſt ſeparationi huic limites non recuſandi; quouſque verò aquam hanc *ſuperabundantem* patiantur humores adhuc ignotum eſt; non ſecus ac ignota vis quâ par- Theſ. 14

tes humorum sibi mutuò adhærent; albumen ovi ab albumine ovi differre constat, ast aliud *spissum* aliud *divisum* dici posse non videtur, ni destruatur eorum constitutio. Veluti vitis peculiaris vinum peculiare refert, sic corpus omne sanguinem habet *suum*, eundem *naturâ*, *idiosyncrasiâ* diversum. Esto sanguinis partes ab aquâ magis aut minùs separari posse (ad certum usque gradum) in eodem individuo, an ex eo sanguis *spissus* erit vel *divisus?* An glabuli sanguinis multæ aquæ innatantes faciliùs permeabunt vasa sua? An difficiliùs si aquæ minori quantitate separentur? Non videtur. Prætereà sanguis spiritui vini v. g. aut sali alicui conferri, seu comparari nequit; hæc in aquâ extenduntur semper quæ dividuntur (donec destruantur); ast sanguis non adeo missibilis aquæ videtur. Imò superflua in sanguine aqua plethoram ponit, sanguinem non dividit. Aqua, quæ sanguinis compositionem vel naturam reverà ingreditur, si deficiat, destruitur certò sanguis nunquam reparandus.

THESIS CXXVIII. Lacti & albumini ovorum denuò sanguis æquiparandus. Lac in aquâ non rectè solubile norunt Chemici; cur & à pari sanguis insolubilis non erit? Lac & albumen ovi acidorum miscelâ vel alio modo concreta naturam suam deponere non minùs constat. Imò non secus ac frigore conglaciatur aqua, quia partes ejus tunc quiescunt, sic sanguis quiescens concrescit, ex eo facilè destruendus; caloris etiam defectu, tum & caloris augmento destructio eadem accidit. Motus igitur & calor determinati, sanguinis constitutionem fovent, quam facillimo negotio amittit, naturam suam mutans. Num sanguis omnis ad *organisationem* proximè accedens aliquid jam viventis habet? Porrò in sanguine si extranei misceantur humores, aqua, bilis, mucus nimius, urina, tunc humores ii extranei expellendi, sed ex eo sanguinis natura, constitutio non mutatur, vel si mutatur, destruitur.

THESIS CXXIX. Plura quàm afferri queunt experimenta, in omni liquore animali tentavi (*a*) aquarum nostrarum miscelâ. 1°. Aquæ *Bannieres* lacti frigidæ mixtæ, vel calidæ uti in fonte reperiuntur, lac vix mutant; si miscela ad ebullitionis gradum calefiat, tum lac concrescit, serum à partibus aliis separatur; aquæ *Bareges* & aliæ non magis lac mutant frigidæ vel calefactæ in omni gradu quàm aqua communis. 2°. Sanguini recenter extracto si aquæ *Bannieres* misceantur, concrescere videtur, quod aliarum aquarum ope scilicet *Bonnes*, *Bareges*, &c. non accidit; earum enim additione sanguinis concretio impediri videtur, magisque forsan quàm aquæ communis calidæ miscelâ; sanguis cum *aquâ Bannieres* coctus in massam cogitur, veluti fit in aquâ communi; cum aquâ Bareges & aliis accidit quandoque cruorem non concrescere. 3°. Aquæ omnes vix mutant ovi albumen, quod ebullitione in omni aquâ minerali concrescit velut in aquâ communi. 4°. Saponem rectè non *dissolvit* aqua *Bannieres*, quod aquis quorumdam puteorum proprium est à præsentiâ salis Chemicis noti; aquæ *Bonnes* & aliæ saponem *dissolvunt* velut aqua pluviatilis; hoc etiam de bile expertum est. 5°. Pus in aquâ *Bannieres* non adeo solvi videtur ac in aquis *Bareges* & *Bonnes*; &c. in illis velut in aquâ communi puris pars aquam turbat, altera concrescit, supernatat aut fundum petit in *glareas*, quod etiam in sputis obtinet. 6°. Lacte cum aquâ *Bareges* aut *Bonnes*, saccharo & ovis mixto in balneoque maris cocto, massa concrescit (sanguini forsan non malè æquiparanda), veluti accidit cum aquâ communi, ni *Bannieres* aqua miscelam paululùm recuset. 8°. Fœcalis materies plerumque aquarum *Bannieres* usu nigrescit, aquis verò *Bareges* & aliis minùs,

(*a*) Potissimum in Diario 1750.

coloríque fuſco vel ceruleo non rarò induitur. 8°. Tumorum ſchirodeorum laminæ in aquis omnibus maceratæ, coctæ, non magis mutantur quàm in aquâ communi. 9°. Caro velut in aquâ communi coquitur, ni parùm indureſcat in aquâ *Bannieres*, ex quâ panem non rectè fermentatum fieri notum eſt. 10°. animalia viventia in aquis omnibus merſa, ranæ, piſces, vermes velut in aquâ communi calidâ *indurantur*, magis aut minùs *extenſa* moriuntur, paululùm magis in aquis *Bannieres indurata*, uti ſaltem viſum eſt. 11°. Carnes putreſcunt in omnibus aquis, fermè velut in aquâ communi.

Thesis CXXX. Ex iis omnibus quid colligendum? Primo experimento patet aquis *Bannieres* ſanguinem & lac concreſcere; aſt attende ad caloris gradum, ſcilicet ad ebullitionem; gradus hic nunquam in corpore viventi reperitur. De ſecundo experimento idem eſto judicium. Præthereà experimenta directè oppoſita habeo; à ſectâ enim venâ, membro in aquâ *Bareges* immerſo, ſanguis dum ſucci *mucoſi* quantitate turgebat concrevit in pelliculas, veluti hoc fit in aquâ communi, & in aquâ *Bannieres*, ita ut ad quantitatem ſucci *mucoſi* in ſanguine hic valde attendendum; in pleuritici enim ſanguine, *mucoſâ* parte exſpoliato, ſemel expertus ſum cruorem reſiduum in aquâ communi non concreviſſe ebullitione. Cætera experimenta vix corpori viventi applicari queunt: aquam Mineralem in vaſa animalium viventium injicere tentabam; guttatim ſanguinem aquæ miſcebam, vel ſanguini aquam etiam guttatim; iis omnibus pauca edoctus fui, vel ut rectiùs dicam, experimentorum quæ nihil probant numerus adauctus eſt.

Thesis CXXXI. Experimenta hæc corpori viventi nullatenùs applicari poſſe iterùm profero, quod demonſtrat obſervatio infelix. *Bannieres* aquæ miſcelâ ſanguinem concreſſere poſſe olim protuli (*a*); quidam poſteà agyrta curans infeliciſſimam virginem, quæ hæmorrhagiâ narium frequenter laborabat, experimentum meum advocavit, & coram ægrotâ denuò inſtauravit; vides, ait, quî ſanguis tuus *rarefactus* & *mobilis* nimis, aquis *Bannieres* quieſcet. His ergo adhibitis aquis, in hâc hæmorrhagiâ, cujus principium erat in viſceribus *ſtricto* laborantibus, paulò poſt maraſmo confecta & phthiſi pulmonali obiit ægra, quam in ultimo morbi gradu vidi. Atqui aquas *Bannieres* pectori inimicas præcisè expoſueram, & in omni ad maraſmum diſpoſitione vitandas (*b*). In iis igitur multa viris doctis probiſque cavenda. Generali corollario concludendum eſt aquarum actionem in humores nonniſi difficillimo modo determinari poſſe; ita ut omninò delenda remaneant, vel temperanda quæ multis adeo placent effata hæc & ſimilia: *aquæ diluunt ſanguinis partes, fluiditatem earum adaugent, lympham ſiccam emolliunt, humectant, ſolvunt, ſalia diluunt, ſecum per urinas vehunt, &c.* hæc enim cuncta non demonſtrantur (*c*). Atqui eas artis minutias, *Phyſicæ poſſibilium* fœtus, per provincias graſſari præſertimque in fontibus aquarum mineralium, expertus profero. Urbium enim primaria, doctrinâ omni nitens, veluti mare, quiſquilias & immundities ad latera pellit; aſt in aquis noſtratibus uſu detritas periodos vacuaſque, frigida apophtegmata atque tropos inconcinnos nimiùm ora reſonant; *ſanguis rarefactus eſt, ergo compeſſendus; reſinoſus eſt, ergo dividendus....* *Attritionem* ſanguinis globulorumque diviſiones mechanicas, inter aniles fabellas annumeramus; *ſpiſſitudinem* ſanguinis, diviſionem ejus, acrimonias tot fictas, effervescentiam, &c. indeterminata, manca, præmatura nimis habemus, donec meliora Chemici veri docuerint, quorum lites has dirimere penès eſt.

Thesis CXXXII. Motibus ergo corporis ubique obſervabilibus potiſſimùm attendere Medicorum eſt *. Aſt ne deſit pabulum, quo imaginatio ve-

(*a*) Lettres contenant des Eſſais, ubi ſup.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Vid. Illuſtriſſ. D. Senac, Traité du cœur.

* Theſ. 2.3)

luti jure potitur, in iis ferè omnibus quæ concipimus Homines; quid sit præcisè vita, & quænam causæ ejus breviter perpendemus, ut theses nostræ * fulciantur. Polypo assimilari potest omne genus nervosum *, cujus nervuli omnes totidem rami, pedes, vel cornua erunt; nervi autem animâ spirituali accensi hominem constituunt; non magis enim ossa mucosusque omnis textus & alia organa ad hominem, quà animal est, pertinent, quàm palus quo vitis stat, ad vitem ipsam, vel terra in quâ planta extenditur ad plantam. Hæc omnia homini extranea sunt, & hujus instrumenta, fulsimenta, theca, vestis. Imò corpus nervosum in ipsomet embryone, animâ infusâ dives, homo est, & quæcumque nutritione sibi attrahit adolescendi hominis essentiæ nil addunt. *Quàm parvus ergo homuncio!* Porrò polypi nervosi extenduntur & retrahuntur rami inter sese mixti, sibi invicem auxiliantur, ita ut nullus moveatur nisi aliorum viribus vel concursu; sic corpus omne amplectuntur & regunt. In medullâ oblongatâ cerebri caulis præcipuus nervosus extat; caulis hujus radices ad cerebrum tendere diceres, ramosque ad totam corporis circumferentiam; ubi notandum propagines ejus quasdam in abdomine denuò implantatas, ad omnes alios nervos extendi; unde nervus ferè omnis *conjunctionis* hujus surculus haberi potest. Anatomicis potissimùm mirandum hoc spectaculum destinavit Natura. Fac motum per ramos illos ire atque redire posse, ab alio in alium communicari, (modò non desit anima) vitam habebis & ejus necessarios effectus. Fac ramos illos ad partes omnes & singulas extensos, partes ipsas ex mucosâ substantiâ sibi formasse *, ossibusque eorumdem causâ effictis fulciri, corpus vivens habebis, Hominem qualem limitibus suis circumscripsit Natura.

* In 1°. §. & alibi prolatæ.

* Thes. 11.

* Thes. 2.

THESIS CXXXIII. Vita autem ulteriùs inquirenti foret aptitudo ad motum animali fibrillæ inhærens, cum sensu aliquali. Non secus enim ac gravitas, attractio mobilitasque passiva cuilibet corpori propria insunt, sic & mobilitas activa vel spontanea cur partibus quibusdam recusarentur? Partes eæ *elementa animalitatis*, fundamentum *animalis*, basis *nervea* forent, vel *nervus*; nervus enim unicus inest corpori. Nervus hic quem ad atomi usque tenuitatem insequitur imaginatio, motu gaudens *potentiali* & sensu, (posteaque ab animâ excitatus) corpus mucosum cum calore humiditateque determinatis reperiens in semine, crescet in utero; corpus enim mucosum nervi hujus vera minera, pabulum, locus in quo moveri ex se amat, terra in quâ vegetat, quam varie *tornat* juxta resistentias allatas, vel ex datâ formâ; unde partes oriuntur in quibus indesinenti actione seu motu micat nervus aut elementum *animale*.

THESIS CXXXIV. Præterea actio hæc, vis, motus, sensus in quolibet individuo eadem putanda forent, veluti qualitates necessariò parti tali adhærentes. Vires istæ dum non demonstrantur actu, instrumenta desunt, non vires. Virium autem exercitium perfectius, pacatius, æquabilius quod haberi posset, quietem corporis poneret majorem quæ potest haberi; virium fluxus à parte polypi nervosi ad partem, à nervo ad nervum motus erunt; virium collectione & stasi spasmum, *strictum*, *tonum*que nimiùm poni verosimillimum; cum aliundè minor quæ potest dari in parte motûs copia, minor fluxus, *undulatio* minor, partis *relaxatio* foret. Perpetuò igitur motûs eadem quantitas in corpore circumiret; elementumque animale, seu fibrilla nervea prima, in pulice eâdem vi gauderet ac in leone, ut & eâdam consistentiâ; elementa enim omnia æqualia si non perfectè, saltem respectivè ad præcipuas qualitates supponunt Chemici. Hinc terra *animalis* elementum foret, *vege-*

talilis terra elementum aliud, cum aliquali modificatione species peculiares, velut in metallis, distinguente. Terræ autem illæ corpus mucosum non erunt; quod ex se pabulum esse potest *terra animalis* vel *terra vegetabilis*; licet enim ignis, *Phlogiston* metalli cujuslibet compositionem ingrediatur, terram peculiarem cuilibet metallo destinavit Creator omnipotens. Ast sublimiora docuerunt viri immortales, puta *idola* Hippocratis, atomos Epicuri, formas substantiales Aristotelis, Omeomeriam Anaxagoræ, ova Ovaristarum, monades Leybnisii, formas & moleculas organicas D. de Buffon, &c.

THESIS CXXXV. Ut ut sit sensu genus omne nervosum partemque quamlibet sensatione suâ gaudere nil dubium; ast si sensus vel sensationis natura determinanda sumatur, in illis quæ erunt *de apicibus artis* (a) hærere physicum omnem & medicum certò certiùs oportet; neque meliùs quid sit dolor, quid verò voluptas difinire fas est; an dolor ad spasmum * pertineret voluptasque ad quietem * ? Porrò sensationem omnem in corpore nervis deberi (quod experimenta à nervis ligatis demonstrant), partibusve aliis mediantibus nervis sensationem omnem accidere, satis notum videtur. Ossa, cicatrices, tendines valde sensibilia si quis putasset nostris temporibus; ossium amputationes, tendinum suturas *fracturas*que, absente fermè dolore fientes, revocare satis fuisset. Tendines autem v. g. non omninò *callosi*, sensibilitate quandoque num donarentur? Num v. g. tendo achilleus dictus, compressus in homine sensationem præbet, ut & tendines flexorum cruris fortiter intra digitos coacti? Num dolent ligamenta in arthritide, num aliqui in quibus dilatatur *annulus* dictus in aponevrosi musculorum abdominis, dolore afficiuntur, ut & aliqui quorum fascia lata in operationibus Chirurgicis scinditur? Quod ægros invisentibus notum est. Aliunde infinitis penè modis titillari, pungi, uri, lacerari, trahi, comprimi, dividi sanè queunt tendines, ossa, partes & aliæ.... Memini nos plurium canum Monspelii dissectione pauca confirmasse; mens erat potissimùm Clar. Hambergeri de respiratione dissertationem perpendere; nil ferè docuere mille experimenta; nervo ipsomet puncto, animal vivens adhuc, doloris signum non præbuisse semel observavimus. Hæc ergo maximè proficere posse timendum iis solummodò qui, ut laudati ipsiusmet Hambergeri verbis utamur; *judices se gerunt in propriâ causâ* (1). Cæterùm circa prædicta † *conjectationes aliquot promere fortè licuit, ut possemus verisimilem ideam nobis informare causæ plurium phænomenon, verùm his non abhæremus* (2).

(a) Ballon.

* Thes. 134.

* Thes. 89.

† Thes. 132.

THESIS CXXXVI. Medicos tæderet plura super his haberi, dum iis, quæ hactenùs proposita sunt, modus quo corporis vires & motus se præbeant intelligenda, possit satis comperiri. Etenim quid sint in corpore motus, vires, eorum fontes, centra, diverticula, morbique virium naturalem tenorem aut ordinem pervertentes, ex iis aptè definiri posse videtur. Morborum effectus, progressus, exacerbationesque pendent à causis iisdem, variis tamen quoad mechanismum juxta morborum tempora. Crisium igitur seu excretionum causa, progressus, eventus ex illis disquirenda sunt & æstimanda; hinc etiam exurgunt theoremata quædam clinica, quibus non pauca circa crises problemata (3) (maximi quidem momenti) definent forsan inter insolubilia recenseri. Omnis motus febrilis tendit

(1) Clariss. Hambergerus de respirationis mechanismo, &c. una cum, &c.

(2) Illustriss. Helvetius, Principia Medico-Physica.

(3) De problematibus illis vide Dictionarium Encyclopedicum, verbo *Crisis*.

ad excretionem, vel ad ſuperandum morboſum obicem : *in morbis humoralibus* * *determinatur vis inſurgens contra obicem morboſum , & ita adeſt conſtans criſium molimen ; in morbis enim illis virium progreſſus ad viſcera abdominalia præcipuè læditur à gravante & irritante quâdam , in tubo inteſtinali humorum aggerie motum ſiſtente (b)* ; arguendum igitur ex illâ virium determinatione celerem morbos humorales requirere aut pati therapeïam. In morbis nervoſis * quos parit, uti annotavimus *, aberrans ad certum uſque gradum ab ordine criſium, oſcillationum niſus, fruſtrà imò & nocivè, *dum deviæ à criſium molimine manent vires inſurgentes , ad criſes celeres præſertim , provocarentur morbi illi, ſiquidem curationi evacuationes provocanti parere nequeunt ; cum ex defectu aptæ virium determinationis deſit ſemper eâdem proportione requiſitum ad criſes ſalutares complementum (c)*. Hæc quidem ad morbos chronicos æquè ac acutos pertinere conſtat quotidianâ obſervatione.

* Thes. 46.

(b) Specimen novi Medicinæ conſpectus.

* Thes. 46.

(c) Ibidem.

THESIS CXXXVII. Balnea quotquot ſunt in aquis noſtratibus calida haberi poſſunt. *Bannieres* fontes 31. aut 32. reperiuntur , calidi à gradu 82. circiter , ad 124. circiter *. *Bareges* , octo fontes à gradu circiter 86. ad 115. *Cauterès* , fontes ſeptem aut octo à gradu 102. circiter ad 120. *Bonnes*, fontes tres à gradu circiter 90. ad 102. *Chaudes* , fontes tres à 92. gradu ad 114. gradus; eos quandoque paululùm augeri aut imminui expertum eſt (1). Balneorum illorum uſu ſolida *laxari*, humoribuſque aquam miſceri receptiſſimum ; aſt vis eorum & modus agendi non niſi experimentis & obſervationibus, quæ adhuc adhibenda & colligenda ſunt , cognoſci valent. Dum quis in aquis tepidis *Bareges* balneo lavatur per horæ circiter ſpatium , ex pondere ſuo vix quidquam ſæpe deperdit ; contra verò non rarò levior erit æquâ lance ponderatus ; id probat experientia (2). An hoc obtineat in individuo omni & temperamento , horâ quâlibet ante vel poſt paſtum , in ægrotis & in ſanis , in aquis *Bannieres* & in aliis velut in aquis *Bareges* experiendum. Hinc autem colligitur , 1°. corpus noſtrum in balneo ſæpe nil ex aquâ ſibi trahere , nihilque ipſi aquæ id præbere ; deperditionem enim præciſè additioni aquæ in corpore quis æquiparandam contenderet ? 2°. Dum à balneo gravius reperietur corpus , gravitas hæc certò ab aquâ corpori mixtâ procedet ; 3°. dum levius balneo fiet corpus , aliquid deperdidit , neque ſibi aquam traxit. Non igitur aſſeri adhuc rectè poteſt , aquam balnei poros cutis ſemper penetrare, humoreſve & ſolida mutare , hæcque ad præconcepta , non probata, ulteriùſque perpendenda relagari æquum eſt.

* In termoſcop. Farenheit.

THESIS CXXXVIII. Balnea 1°. ſtomachum peculiari modo feriunt *, ad lypothimiam uſque ſæpe præcordia irritant , ut & ſtillicidia (a) ; appetitum ventriculi ſæpe movent , vireſque digeſtivas, tempore digeſtionis ſumpta, impediunt. 2°. Ex balneo ſanguinem ſpui annotavi , pulmonicoſque quoſdam citiùs vitam cum morte mutaſſe , menſtrua præthereà & hæmorrhagiam

* Thes. 70.

(b) Diarium ann. 1751.

(1) Gradus illos inter primos menſuravit D. de Secondat : ſic artem noſtram illuſtrat curâ filii Illuſtriſſimi Viri D. de Monteſquieu , qui ipſemet, Medicorum potiſſimùm more & normâ , ſublimiora meditatus eſt.

(2) Primus, ni fallor, hujuſmodi experimenta tentavit M. Ludovic. Guillelm. le Monier , Saluber. Facult. Pariſ. Doctor ; aquæ enim noſtræ jam à multis hujuſce Facultatis Doctoribus perpenſæ , in fontibus ipſis ; ſcilicet, à M. Juliano Buſſon , à M. Paſchaſio Borie , ſupra laudato , à M. Franciſco Thiery ; quodque ſilentio non prætermittam , ii Clar. Viri Colendiſſimum Patrem in Conſilium vocari amarunt ad ægrorum ſuorum curam. Extat etiam inter Theſes ſaluber. Facult. Pariſ. Quæſtio Medica M. Jacobi-Juliani Hingant , (*An ventriculi & inteſtinorum ulceribus aquæ Baregienſes ?* anno 1745.)

uteri ;

uteri, & fluoris albi augmentum nimium, vel & hydropem ipsummet excitasse vidi: urinæ sæpissimè balneo moventur. 3°. In balneo utut calido multi post aliquod temporis intervallum frigent; frigori huic calor sudorque sæpe succedunt; balnea ergò viscera agitant, irritant, comprimunt, ad ipsa repellendo vires, quæ denuò ad exteriora redeunt; febris scilicet insultum præbent balnea, febrimque vividissimam sæpe excitant, quam sudor posteà sequitur. Ut pondus quodlibet circumferentiam corporis deprimens, ut & ligatura, vel universale emplastrum, sic & balneum erit; pondere cutim irritat vasculaque, unde perturbatio generalis seu balnei effectus præcipuus. Balnea peculiarium partium, stillicidia, frictiones, inflammationibus sæpe ansam præbent, veluti urticatio, humoresque ad partem advocant vires suscitando (*b*). Atqui ut balneorum calidorum vis apprimè nosci posset, aptè definienda forent caloris in corpore viventi natura, causa, effectus; sed de hâc re sub judice lis est maximi momenti inter Artis Magistros (*c*).

THESIS CXXXIX. Experientiâ igitur solummodò duce, huc usque *aquarum nostrarum* balnea potusque præscribi possunt. Potus aquarum, quem ad balnea interiora referas, adaugeri, imminui, sisti debet, juxta morbi genium, tempus, ad judicationem aptitudinem: dosis aquarum plerumque matutinis horis potatur à lib. 1. ad lib. 4. 2°. Expertos autopsia docet an viscera aquis *Bannieres* excitari priùs debeant, quàm ut ad aquas alias recurrendum sit; an verò febris primò movenda aquis quæ sulphureæ dicuntur, deinque febris hujus crisis dirigenda, excretiove fovenda aquis *Bannieres*. 3°. Pro potu ordinario & in mensâ ipsâmet aquas nostras sumi posse expertus fui (*a*); neque methodus hæc incommoda habet. 4°. Aquas etiam frigidas potari posse didici, aliunde dubitabam an dum calefiunt idem præcisè gradus caloris quo gaudent in fonte ipsis communicari debeat. 5°. Clar. Meighan aquas *Bareges* inter primos lacti miscebat, posteaque miscellam hanc cum omnibus aliis aquis, exceptis validioribus *Bannieres*, adhibui (*b*). 6°. Serum lactis quandoque parari curavi, lac in aquâ *Bannieres* coquendo, tunc enim concrescit pars lactis *mucosa*, serosa verò aquæ miscetur, liquoremque potu non injucundum præbet, quem in multis maximè utilem putarim. 7°. Aquarum potatoribus, qui ut vulgò fit, exerceri & moveri non amant, aquas potando, animos addit colend. Pater, aquasque etiam in quiete apprimè digeri posse demonstrat (*c*). 8°. Quousque aera, anni tempestas, &c. potui aquarum faveant determinare haud facile; ast Antiquiorum superstitiosa præjudicia circa tempestates anni, circa purgationis aut venæsectionis necessitatem, ante usum aquarum, has omnes & sexcentas alias inscitiæ fabellas in Patriâ dies lucidior dispellit, melioraque adhuc speranda habemus (1); verum enim verò in non paucis adhuc dubitandum; dum v. g. morbos eosdem vel qui iidem videntur, aquis *Bannieres*, *Bareges*, & aliis curari quandoquè docet observatio, non videtur an hoc aquis tribuendum, an verò naturæ morbi, qui ita ad excretionem sive crisim dispositus est, ut quolibet adhibito medicamento curari possit; ast quinam sit hic morbi gradus hîc disquirere nostrum non est? 2°. Balnea cum

(*b*) Circa balneorum præsertim frigidorum vim mechanicam. Vid. James Diction. *Balneum*.

(*c*) Vid. Encicloped. verb. *Chaleur*, autore D. Venel; tum & ejusdem verbum *Chymie*.

(*a*) Lettres contenant des Essais.

(*b*) Ibid.

(*c*) Dissertat. ubi sup. Vide etiam Diction. James verb. *Acidulæ*.

(1) A Clariss. D. Venel, Sereniss. Ducis Aurelianensis Medic. ordinar. & à D. Bayen, qui analysim nostrarum aquarum ann. 1753. inchoarunt; cupit enim Illustriss. Archiatrorum Comes aquas Minerales tandem apprimè nosci. Nobile hoc Consilium ducentis abhinc annis, historiæ Benearnensium scriptor (*Olhogaray*) prævidens, ardenti animo clamavit: *Nos Eaux sont si merveilleuses qu'il faut espérer que quelque brave Medecin en fera le sujet d'une œuvre admirable pour la postérité!*

aquarum potu adhibere quousque liceat non satis notum est, nec notus est usus eorum in morbis viscerum, in suppurationibus, tumoribus, &c. 3°. Acutos etiam morbos, febres intermittentes, & acutissimos ipsos, aquis nostris sæpè curari posse constat (*d*); sed determinanda agendi ratio, non secus ac vis & modus quibus aquæ minerales generationi opitulantur (*e*). 4°. Natura aquarum mineralium rectè definienda remanet*, ipsarumque jus in morbos, in corpus, iis distractis quæ aera, motus & animi pathemata efficiunt. 5°. Demùm dato morbo rectè definiendum an curabilis sit, quomodò, quare, quibus & aquis? &c. &c. Nihilominùs millenis observationibus suffulti, gravissimisque rationum momentis, quæ à Medicis cordatis solummodò perpendi possunt & debent, concludimus, non præcipites ut videtur:

(*d*) Diarium 1751.

(*e*) Multa super iis collegimus in Diar. 1750. Aquæ *Chaudes* vulgò *Empregnaderes*, vel *impregnantes* dicuntur.

* Has acido vitriolico & marino variis basibus junctis ditari propo sui in Præfatione operis Colend. Patris sup. cit.

Ergò AQUITANIÆ Minerales Aquæ Morbis chronicis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Bernard, Chirurgiæ Professor.

M. Claudius Person.

M. Paulus-Jacobus Malouin, Regiæ Scientiarum Academiæ Regiæque Societatis Londinensis Socius, necnon Regius librorum Chymicorum Censor

M. Joannes le Thieullier.

M. Ludovicus-Renatus Desbois.

M. Joannes Baptista Boyer, Regii Ordinis Eques, Regis Consiliarius Medicus in Supremo Senatu ac in Præfecturâ Parisiensi, Censor Regius, & Regiæ Societatis Londinensis socius.

M. Jacobus Verdelhan des Moles, Serenissimi Principis Condæi Consiliarius & Medicus ordinarius.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Bernardus de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Regiæque Societatis Londinensis Socius, & in Horto Regio Botanices Prodemonstrator.

Proponebat Parisiis, Nobilis THEOPHILUS DE BORDEU, Doctor Medicus Monspeliensis, olim Aquarum Mineralium Aquitaniæ Inspector Regius, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1754.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universit. & Fac. Med. Paris. Typogr. 1754.